

Aggenbrud:  
De effecten confessoris.

Invalutionswiff für  
Lottrecht.





197

DE  
EFFECTV  
CONFESSIONIS SPONTANEAЕ  
IN CRIMINALIBVS DEFICIENTE  
CORPORE DELICTI  
DISSERIT.

---

*No 2695* SIMVLQVE  
GODOFREDO LVTTERTH  
IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATO  
CONFECTVM  
STVDIORVM ACADEMICORVM CVRSVM  
ET FELICEM  
AB ACADEMIA LIPSIENSI DISCESSVM  
GRATVLATVR  
CHRISTIANVS HAGENBRVCH  
LONGOSAL. THVR.

---

LIPSIÆ  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

DE  
GODOLIBERTUS SPONTANEA  
IN GRIMMIAEUS DETICIAE  
CORPORE DELICTI  
D. 1788

GODOLIBERTUS SPONTANEA



STUDIORUM ACADEMICORUM

CHRISTIANUS HAGENBACH

LIPSIÆ  
EX OFFICINA L. C. SCHNEIDER



Al Nobilissimo Signore  
Il Signor  
**Godofredo Lutteroth**

Candidato delle Leggi  
Amico e Cugino mio Colendissimo.

**Nobilissimo Signore!**



Ho avuto io sempre ardente desiò, dimostrare con qualche segno l' affetto mio cordiale verso di Lei, Amico, Cugino mio diletto, non contentandosi l' amor, che tengo, innato in me, verso di Lei, quasi dalle fasce, star racchiuso dentro l'argini del petto, senza mostrarsi in effetto. Perciò son costretto uscir fuori de limiti, e quel fuoco d'amor, che dentro il mio cuore s'annida, suampandomi, benche scintilla, d'una picciola fenditura si vede, avalorandomi d'un erudita penna d'un

grand Dottore, che dice: *l'amor non si conten-  
ta di parole, se con opere non si manifesta.* Essen-  
do dunque risoluto, di mandare alla luce uno  
parto del mio debole ingegno; hò pensato, de-  
dicarlo al di Lei merito, per dimostrar l'amor  
mio con opere, se bene sia frutto immaturo, sarà  
però gradito del suo affetto, con i raggi delle  
sue scienze, qual' altro sole, quando stà nel segno  
di Vergine, rende maturi frutti, cossi Ella potrà  
renderlo saporoso e dolce, ancorche non sia sta-  
gionato. Al terminar di questi voci, e di que-  
sti amorosi accenti, tosto mi sentii dilatate il cuo-  
re, e con quest' allegrezza d'animo, vengo a  
significar a tutto il nostro *Parentado*, come an-  
cora a nostri *Amici*, quanto sia stato in eccesso  
l'affetto mio cordiale, consecrando et offerendo  
verso di *Lei*, questi miei deboli studii, et fatiche.  
Bramerei però in questa dedicatoria, manifestar

al

al mondo le sue rare virtù, ma mi trattiene, a non dar questo passo, la stretta consanguinità, colla quale la natura ci hà connessi e ligati, e quella lode, che io vorrei palesar di Lei, benchè sia vera, mi tratengo, perche doberebbe farsi dell' estraneo, secondo l'adagio commune: *alienus te laudet.* Con tutto ciò mi farà lecito però, di publicar al mondo, aver dato Lei saggio di Giovene virtuoso, nella università di Gienna, di Hala, e della nobilissima città di Lipsia, e perche, secondo il documento della Sacra Scrittura, ogni parola viene confermata per la bocca di due, o di trè testimoni, senza che io di vantaggio aggiungeffe, vengono a palesarsi da se le vostre glorie, e s'è di trè Academie licenziato, puo Lei dar un attestato, quanto sia perfetto il suo sapere, giacchè è stato di questo numero perfetto lodato, ch'è il trino, come da tutti i Filosofi

questa verità viene approvata. Il ternario tra tutti i numeri è il più perfetto, onde il Prencipe de Peripatetici, *Aristotele, nel trattato: de celo et mundo*, dice: *Nil est perfectum nisi trinitas*. Posso dunque ben dire, e senza nota di jattanza, giachè V. S. è stata lodata delle sudette trè Accademie, quanto sia grande il suo sapere. E per dar principio nella facoltà filosofica; Ella è così ben ammaestrata in detta scienza, che possa ben diffendersi le sue conclusioni, senza temere, d'esser ligata e convinta dell' arguenti, come si osservera nella disputazione, che sostenera fra breve. Che diro del Jus Civile, e Canonico! V. S. fa ben rivolgere i Digesti, i Codici, e Novelle, per raccogliere dalli sudetti, come ape ingegnosa, dottrine di vera, et illibata giustizia, per la quale si purga il mondo di latri, assassini, e malfattori. E dell' Istorie posso ben dire, che cossi nel Uni-  
versa



versale, come si anche nel Istoria dell' Imperio  
Ella è tutto pronta ad ogni richiesta. Posso  
per fine con verità predicare che nella Poesia  
Tedesca V. S. da tutti virtuosi è stata lodata, et  
inchomiata al sommo. Le sudette sue virtù  
dunque anno dato a me maggior impulso, di pa-  
lesare a V. S. li miei teneri affetti, se bene Ella  
fin da fanciullo nella sua vivacità gli hà cono-  
sciuti, e hora, che e adulta, non ha, che teme-  
re, che mi sieno venuti meno. Con tutto  
ciò, per dargline un contrasegno, gli le paleso  
maggiori fu la candidezza di queste paggini, coll  
operetta, che mando in luce, che attesta l' affet-  
to e l'amore inestinguibile, che verso di *Lei*  
dentro il mio petto conservero fino alle ceneri.  
Gradisca dunque il di *Lei* benigno cuore detta  
mia operetta, che ossequiosamente l' offerisco, nel  
conservarmi il suo purissimo amore, il quale  
molto

molto stima. Spero dunque, anzi, credo per certo, che V. S. mi fara partecipe de suo gradimento, con perfeverar, a tenermi nella di *Lei* gratia, e gradita amicizia, ch'l maggior quidardone di miei desiderii, massimamente d'un *Amico*, Cugino cosi virtuoso, che col dispreggio delli vitii, fà gran stima delle scienze. Si compiacia dunque, secondar le mie brame che cosi potro gloriarmi dicendo:

A *Voi* abbraccio, a *Voi* stringo, con *Voi* dimoro io affettuoso Cugino, *Voi* solo adoro

Di V. S<sup>ria</sup> Nobilissima

Lipfia li 19 di Marzo

1739.

*Obligatissimo Servitore et Amico fedele*

Christiano Hagenbruch.



## Q. D. B. V.

### §. I.



leges, aequae ciuiles, ac criminales, in republica, *Necessariae sunt leges in republica ob corruptum naturae humanae statum.* post corruptum naturae humanae statum, ita esse necessarias, vt sine iis, magnum illud, ex tot diuersis ingeniis, totque improbis hominibus conflatum corpus, nec diu subsistere, nedum finis rerumpublicarum, hoc est, tranquillitas et securitas publica, obtineri possit, et me tace-  
prauata, i. e. a ratione auersa, et ad vitia procliuis sit hominum natura, eiusque corruptio in tribus potissimum vitiis, ambitione, auaritia, et voluptate, consistat, hi vero naeui fontes sint omnium maiorum, respublicas turbantium, merito praecauendum est, ne hi in delictum, proprie sic dictum, et ciuile, degenerent. Idcirco contentus aliorum, et iniuriae, ex ambitione oriturae, reprimendae sunt, per constitutionem legum, quae malum, ambitioni contrarium, quale est infamia, vel dedecus ad minimum, dicitant. Incommoda, ex auaritia in genus humanum redundantia, auerti debent positione legis, poenam pecuniariam, siue multam, in violatores constituentis. Quum denique libido mortales pariter vrgeat acrioribus stimulis, et ad alios laedendos perpellat, ideo prouidendum quoque est legislatori, ne per vesanam libidinem turbetur societas. Hunc in finem non solum leges ferendae sunt, quibus occasio libidinis exercendae, quam fieri potest, longissime remoueatur, sed et illae grauissimorum suppliciorum metu muniendae. Quemadmo-  
B dum

dum enim ferae ad mansuetudinem non aliter reducuntur, quam per illud, quod earum naturae repugnat, atque obsistit, h. e. per plagas, famem, ita, cum homines natura sua auerſentur dolores, mortem, infamiam, amissionem honorum, tanquam mala, tribus eorum affectibus contraria, horum quoque malorum proposita specie, ad frugem reducendi sunt, eo fine, vt quiete et pacifice omnia in republica agantur. Satis exinde euidentis est atque apparet necessitas legum, poenas constituentium, in republica, quam optime ex ratione reipublicae, et natura hominis deducit ARISTOT. *Lib. X. Eth. s. ult. aiens: Vulgus non ita natum, vt pudori obsequatur, sed vt metui, nec vt abstineat a prauis, ob turpitudinem, sed ob supplicia.*

## §. II.

*Confirmatur legum necessitas. 1) sententias et dictis veterum quorundam sapientum.*

Hanc legum necessitatem, ex peruersa hominum natura prouenientem, optime agnouit PLATO *lib. IX. d. LL. Si homines, inquit, absque legibus uiuerent, nihil a feris atrocissimis discreparent,* et CICERO *pro Cluent. c. 53. Mens, et animus, et consilium, et sententia ciuitatis posita est in legibus. Vt corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine lege suis partibus, vt nervis ac sanguine et membris, vt non potest.* Hinc AGESILAVS prudenter existimauit, tunc demum rempublicam fore felicem, si subditi legibus incumbere non desisterent, XENOPH. *in Orat. de Rege Agesilao p. 668.* quia, vt ait ARISTOT. *Lib. I. Rhetor. c. 4. in legibus consistit salus ciuitatis.* Homo enim cum sit ens, ex duabus, diuersissimae naturae, compa-

*2) Ipsa natura hominis, et eius voluntatis, quae est intime mala.*

ctum, concinnatumque partibus, mente et corpore, in illo duas facultates animaduertimus, intellectum, et voluntatem, siue cognoscendi vim, et adpetendi, auersandique. Conscii nobis sumus de voluntate humana, eam semper ferri a boni, et retrahi a mali specie. Copulatur ea arctissimo nexu cum intellectu, et quicquid is bonum iudicat, appetit, quod ille malum, abhorret, et fugit, denique, quod intellectus non cognouit, id nec appetit, nec auersatur. Vt paucis complectar: ab intellectu omnis pendet voluntas, ab eoque regitur, nisi quod, cum iudicium intellectus, duplex sit, rationale, et sensuale, hoc feruentius sequatur voluntas, ob naturae corruptionem. Procliuis porro ad peccandum mortalium indoles est, atque intime mala, adeo, vt saepius nulli dubitent homines, alteros laedere, imo quaecunque in eos committere, quo respexisse videtur SENECA, quando *l. de benef. c. 10.* ait; *Homo est omnium animalium*

*malium pessimum ac deterrimum, quo nihil peius, et atrocius, et CICERO II. de Offic. C. 5. Nulla tam detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur, et SENECA Epist. 103. ab homine homini quotidianum periculum.* Quandoquidem itaque homines, tam inordinatis voluntatis inclinationibus in transuersum rapiuntur, et prauis suis affectibus erga alios homines prorsus fere indulgent, finis vero ciuitatis communis est tranquillitas, et tutela aduersus iniurias aliorum, hinc necessario medio aliquo opus est, siue norma quadam, qua duce, inordinatae voluntatis inclinationes in regiam virtutis viam reducendae, hominesque per vim quandam externam retrahendi sunt ab eiusmodi prauis consuetudinibus, eo successu, ut alter alterius securitati officere impediatur. Constituti eum in finem in ciuitatibus sunt iudices, ut, quicquid praescriptis regulis conforme iudicarent, tuerentur, et e contrario, omne id, quod ab iis defleat, poenis coercerent, quo ita respublica inconcussa fruatur securitate. Denique necessitas legum ex eo quoque apparet, quod, si respublica legibus destitueretur, pax nequaquam obtineri posset, imo, ipsa reipublicae compages ruinae suae immineret. Fac enim, licitum esse, foedera frangere, alterum laedere, contemnere, occidere, suum cuique denegare, adulteria committere, pacem, et tranquillitatem, inter homines turbare, tollere, habebis bellum omnium contra omnes, et sic miseria hominis esset maior, quam ferarum bestiarum.

3) necessariae  
vel ideo sunt  
leges, quia  
sine iis respu-  
blica consistere  
plane non  
potest.

### §. III.

Excussa necessitate legum, paucis considerabo necessitatem poenarum, quae media sunt, quibus compelluntur mortales, ut praescriptas leges seruent, ad easque actiones suas conforment. Sunt autem poenae in republica eo magis necessariae, quo certius est, nullam plane quarumvis legum fore autoritatem, nisi praemiis, ac poenis, vel ad bonum faciendum, vel ad malum intermittendum, subiectos vrgeret imperans. Cum enim hominis natura ita sit comparata, ut non boni solummodo, sed et mali proposita specie, ad agendum promoueatur, hinc conficitur, voluntatem hominis, uti spe praemii, sic et poenae metu, ad agendum, vel omitendum, excitari posse. Bene itaque Pontifex dixit: ideo se legem ferre, ut, quos virtutis amor a vitio non retrahit, hos disciplinae rigor coerceat, et CICERO Lib. I. ad Brut. Ep. 16. ob eandem

Poenae in re-  
publica, acque  
ac leges, neces-  
sariae sunt.

## IV

*Confirmatur  
exemplo sa-  
pientissimi Le-  
gislatoris Dei,  
qui in violato-  
res legum sua-  
rum animad-  
vertit.*

causam commendat Solonis dictum, qui *republicam duabus rebus contineri*, dixit, *praemio*, ac *poena*. Unde et sapientissimum Numen res humanas eum in modum instruxit, vt, si legibus naturae pareatur, et interna, et externa promoueatur felicitas, sin minus, sceleratos poena premat comes. Nimirum Deus, non dominio, sed paterno amore, hominibus imperans, nihil iis praecipit, nisi quod pertinet ad ipsorum felicitatem. Ex quo consequitur, vt, qui Deo paret, sui ipsius feruiat vtilitatibus, qui minus, in propria com- moda peccet. Vocantur hae poenae naturales, cum sint mala, in- diuiduo nexu peccatis adhaerentia, nec quisquam, qui peccauit, vel fuga, vel alio quocunque modo, quod saepe in ciuitatibus contin- git, tali poenae se subtrahere possit. Sunt et propterea naturales qua naturali ratione homines prouidere possunt mala, ex peccatis suis, et per se, et necessario, prouentura. Quo magis itaque a peccatis absterrentur homines, eo minus conquerendi causam ha- bent de iustitia supremi Numinis.

## §. IV.

*Poenae natu-  
rales sunt vel  
communes, vel  
speciales.*

Sunt autem poenae naturales vel communes, vel speciales. Communis omnium peccatorum poena est iniquis conscientiae, qua certe grauius excogitari nequit tormentum. Speciales diffe- runt pro variis legum naturalium, classibus, ex quibus, speciminis ergo, tantum pauca attulisse, in praesenti sufficiat. Sic luxuriae, et intemperantiae poena est mors hominis citior, molestiores mor- bi, ac paupertas. Neglectae curae intellectus poenae sunt ipsa peccata, indeque orta mala, in quae per ignorantiam homines in- cidunt. Auaritiae, et ambitionis, poena est perpetua sollicitudo, et anxietas animi. Et denique, quis est, qui ignorat? Socialitatis violatae vindictam esse inopiam amicorum, et multitudinem aduer- sariorum. Ita sui quemque mores vlciscuntur, vt vetus dictum habet.

## §. V.

*Natura et de-  
finitio poenae  
explicatur.*

Perlustratis haecenus poenis, ex non obseruatis legibus na- turalibus prouenientibus; nunc mihi propius ad scopum acce- denti, inuestigandam esse, duco, naturam poenarum, quibus ob vio- latas leges ciuiles, subditi ab imperante afficiuntur. Naturam ita- que poenarum quod attinet, ante omnia sciendum, quod subiecto, qui imperantem respicit, imponatur ab hoc necessitas moralis agen- di,

V

di, i. e. necessitas, ni obsecutus fuerit, insigne aliquod malum subeundi. Vocatur hoc malum *poena*, cuius proinde natura, et definitio facile cognoscitur. Scilicet *poena est malum, subdito ab imperante illatum, ob violatam legem prohibitiuam, communis reipublicae tuendae ergo.*

§. VI.

Quemadmodum autem belli finis insimul est securitas ab iniuriis aliorum, ita finis poenae consistit in conseruanda securitate ab iniuriis ciuium mutuis, vt salus & tranquillitas reipublicae obtineatur, id quod fit, si et damnum datum laeso, quantum fieri potest, resarciatur, et, exemplo in peccantem statuto, eodemque nonnunquam e medio sublato, partim bonis securitas procuretur, eo effectu, vt quietius in posterum viuant. v. *ill. BOEHM. diss. de Poena sine Crim. c. II. §. 5.* partim reliqua reipublicae membra mala a laesionibus mutuis exemplo deterreantur, vt ita vnus mali poena metus sit multorum *L. I. C. ad Leg. Iul. repet.* et poena medium cogendi sit, ac detinendi ciues in officio. Inde etiam formula in pronuntiando solennis est: *Им zur wohlbeydienten Straffe, andern aber zum Exempel.* Sunt autem poenae in ciuitatibus ita necessariae, vt sine iis ciuibus tranquillitate frui plane non liceat. v. *PVFEND. O. H. C. Lib. II. Cap. V. §. 7. 8. 9.* quid quod? necessariae ideo sunt, vt homines, sponte non colentes virtutem, metu poenae deterreantur a mutuis iniuriis. Oderunt enim peccare mali formidine poenae, si non virtutis amore. *Secundarius poenarum finis est 1) vt partim imperantium, partim ipsarum legum autoritas conseruetur. Lex enim sine poena vana est, et contemnitur, et leges ferre, quae impune violantur, esset indicium, vel impotentiae, vel imprudentiae legislatoris. 2) vt et ipse peccans emendetur. l. 20. D. de poenis.* Hic propterea secundarius est habendus, quia non semper quaeritur, nec semper obtinetur, vt in suppliciis capitalibus. Iste ideo, quia princeps semper poenae remittendae pollet facultate, in quantum eadem lege humana statuta est.

§. VII.

De suppliciis capitalibus annotandum, ea vti que in Republica prorsus esse necessaria, et sine iis salutem ciuitatis non aeque obtineri posse. *Supplicia capitalia necessaria sunt ad obtinendum finem reipublicae.* *Nil enim est miseris mortalibus spiritu carius, vt*

## VI

CURTIVS ait. *VI. 4. II.* et sanè ratio ARISTÓTELEM non fefellit, cum mortem dixit vulgo videri: *Φοβερὸν Φοβεώτατον*, adeoque, quum nihil magis homines auerferentur, quam mortem, fequitur illud, vt nulla re magis, quam mortis metu, a prauis facinoribus retineri poffint. Vnde et ipfe Deus in fua republica, quam inter Israelitas inftituerat, locum iis effe, fapientiffime voluit. Quemadmodum autem finis poenarum ftatutarum in eo confiftit, vt homines prauas fuas cupiditates metu hoc coerceant, fic, quando infliguntur, femper intenditur, vt tranquillitas et fecuritas rei-publicae falua fit, id quod non obtineri poteft, fi poenae propofitae effeclui non dantur, et iudices violata iura non exfequuntur. Poenarum enim fãctio, in effeclum non deducta per executionem, fruftanea eft, quia maxima illecebra peccandi eft impunitatis fpec, vt ait, CICERO *pro Milone*. Probauit hoc fuo exemplo Cyrus de quo XENOPH. *Lib. I. de exped. Cyr. p. m. 267. lit. D.* ita ait: *Neque tamen hoc etiam dici poteft, quod improbis et fccleratis illudere fibi permiferit, fed ita in eos animaduertebat, vt prorfus ipsis non parceret, ac faepe in numero triftis in viis erat cernere quosdam homines, qui pedibus, manibus, oculis multati effent. Quo factum, vt in iis locis, vbi Cyrus imperaret, cuius, tam Graeco, quam barbaro, neminem laedenti, feclure liceret iter facere, quocunq; vellet, et quicquid tandem feclum geftare commodum effet.*

## §. VIII.

*Vfus vltimorum suppliciorum in controuerfiam a quibusdam vocatus eft.*

Ex his, quae §. antecedenti dixi, facile iudicare poteft de controuerfia illa, quae circa poenas capitales a quibusdam mota eft: an nempe supplicia capitalia recte iufteque vfu frequententur in Republica Chriftiana. Sunt qui hoc, non fine caufa, affirmant, funt quoque et alii, qui vsum illorum reprobantes, negatiuam afferere volunt fententiam. Inter posteriores recensendus eft autor ille, qui fub nomine IUSTINIANI GLEMENTIS LEUCOPOLITANI latere voluit. Scopus ipfius eft, vt loco poenarum capitulum, condemnationem ad operas publicas, et perpetuas, principibus commendet; hac addita ratione, quia illae magis efficaces, et reipublicae magis viles effent. Alii dicunt, poenas capitales non poffe quidem praefenti corrupto rerum ftatu plane tolli; non facile tamen effe multiplicandas, omnium minime vero bono legiftatori



tori convenire poenas, vitam non tantummodo delinquenti aufe-  
rentes, sed et vehementissimo cruciatu eundem affligentes.

## §. IX.

Instituti ratio non permittit, qualecunque meum iudicium de  
modo enarratis Doctorum opinionibus explicare, illasque pluribus  
verbis refutare, quin potius fatius facturus videar; si illud aliis, qui  
exercitiores in iure habent sensus, solidioremque in arte refutandi  
scientiam, relinquam. Restat, vt qualemcunque meam opinionem  
de hac re explicem.

Sentio itaque in poenis definiendis, ad fi-  
nem reipublicae, respectu cuius poenae capitales introductae sunt,  
puto, ad tranquillitatem, et securitatem civium, esse respiciendum,  
et prout ille suadet, poenas esse vel aggrauandas, vel minuendas.  
Sciendum autem est ante omnia, vitia, omnibus hominibus insita,  
ac quasi innata, puniri non posse. v. Ill. BOEHM. in introd. in I. D. ad

*tit. de del. priu.* §. II. nisi in alterius laesionem erumpant, i. e. deli-  
ctorum classem incidant. Quis enim maneret impunitus? Unde  
cogitationum poenam nemo luit *l. 18. ff. de poen.* et ambitio, avari-  
tia, inhumanitas, hypocrisis, per se non puniuntur, propterea quod  
communis, omnium hominum, haec est natura, quin imo magis  
turbaretur respublica, si hi naevi poenis quoque essent subiecti.  
Accedit quod admodum difficile sit, vt haec vitia possint probari,  
cum se semper occultent: sic avaritia parsimoniam praetendit, in-  
humanitas praetextum iuris allegat, et hypocrisis pietatem simulat.  
Et in genere actus mere interni, vtut satis vitiosi, poenae civili  
non subiacent, quia nemo inde laeditur, hinc adulterium in foro  
politico non est ex sola inclinatione aestimandum, secundum do-  
ctrinam Seruatoris, sed ex actu externo, et sic aliter iudicamus in  
foro poli, aliter in foro soli. Respexisse huc videtur CATO apud  
Gellium in *Noct. Attic. Lib. VII. c. 3.* vbi ita: *quae lex tam acerba,  
quae dicat: si quis illud facere voluerit, mille nummis, dimidium fa-  
miliae multa esto: Si quis plus quinquaginta iugera haberi voluerit,  
tanta poena esto; Si quis maiorem pecudum numerum habere volue-  
rit, tantum damni esto.* Atqui nos omnia plura habere volumus, et  
id nobis impune est. At enim vero, cum hi naevi fontes sint omnium  
caeterorum delictorum, respublicas turbantium, alia eorum vtique  
est ratio, si in delictum, proprie dictum, et civile, degenerant. Sic,  
quando ex ambitione oritur contemptus aliorum, signis externis de-

*Mea sententia  
explicatur, ac  
probat.*

*In poenis defi-  
niendis ratio  
haberi debet  
finis reipubli-  
cae.*

*Vitia omnibus  
hominibus in-  
sita puniri non  
possunt.*

clara-

## VIII

claratus, et iniuria, ex luxuria stuprum, etc. tunc hi prauī effectus haud debent esse poenae expertes, imo reipublicae interest, vt hi naeui, quantum fieri potest, per poenales constitutiones reprimantur, affectus intimi per propositionem poenarum magis magisque domentur, refrenentur, et praecaueatur, ne se exserere possint. Ea itaque vitia puniri saltim debent, quae sunt contra Leges; legibus autem ciuilibus nihil aliud est praescribendum, nisi vt solummodo conseruetur tranquillitas, et securitas externa. Ergo non aliud puniendum est delictum, quam quo laeditur tranquillitas, vel ordo reipublicae, vel quo ciuibus insigne praebetur scandalum, quorsum blasphemia referenda est. Poenae enim sunt media conseruandi tranquillitatem ciuium, et tuendi bonum ordinem ciuilem, arcendique laesionem. Ex quo consequitur; vltius extendendas non esse poenas, quam in quem finem sunt comparatae. Multa inhonesta ab hominibus quotidie committuntur, quae tamen poenis subiici nequeunt, quia, his licet perpetratis, salua nihilominus manet reipublicae salus. Neque poenis aboleri possunt eiusmodi inhonesta, quae non laedunt rempublicam, et sic inhumanum foret, legibus poenalibus illa comprehendere, cum tantum poenae debeant esse subsidium, et vltimum medium conseruandae salutis Reipublicae. Pertinet huc CICERONIS dictum, quod ex *fragmentis eius de Republica Lib. II.* superest, vbi ita: *Statuo optime esse constitutam rempublicam, quae nec modice puniendo, inuitet animum immanem ac ferum, nec omnia praetermittendo licentia eius deteriores reddat.*

## §. X.

*Quo magis delictum violat rempublicam, eo atrocius est puniendum.*

Quum itaque ea delicta tantum punienda, quae violant securitatem ciuium, et tranquillitatem publicam, vel turbant ordinem ciuilem, vel insigne etiam dant scandalum, sequitur, vt, quo magis quid violat eam, eo atrocius sit puniendum. e. g. furtum, homicidium, crimen laesae maiestatis, monetae concussio, adulteratio. Adhibenda enim est reipublicae causa seueritas, sine qua administrari ciuitas nulla potest. Ante omnia autem inquirendum est in delicti grauitatem, quae desumenda, 1) ex *obiecto* quod immediate laesum, 2) ex *effectu*, prout nimirum delictum reipublicae damnum attulit vel maius, vel minus, 3) *frequentia* aliisque circumstantiis. Nam ad proportionem poenarum ad delicta quod attinet, sciendum

dum est, ordinarie nullam poenam dici posse nimis grauem. Et-  
 enim cum cui poena sit cognita, vel ad minimum cognita esse de-  
 beat, ignorantia iuris non excusante, *arg. l. 12. C. de Iur. et facti ignor.*  
*l. 9. C. de LL. BERGER in Elect. Iurisp. Crim. p. 3.* de nemine,  
 quam de semetipso conqueri potest, si in atrox eiusmodi malum in-  
 cidit. Vnde et dantur casus, vbi ob leuissima, vti videntur, de-  
 lecta, quae tamen quam maxime tranquillitatem reipublicae turbare  
 possunt, atrocissimae infliguntur poenae, vti v. g. in disciplina mili-  
 tari animaduertimus. Sic, qui scientiam criminis perduellionis  
 habet, et illud non reuelat, reus huius delicti fit, et grauissime pu-  
 nitur. *l. 5. C. ad Legem Iuliam Maiestat. §. 6. et A. B. tit. 24. §. 6.*  
*ZIEGL. de iure mai. L. 1. c. 2. §. 47. et Ill. BOEHM. Introd. in Ius*  
*Dig. tit. ad Leg. Iul. Mai. §. 8.* An iuste puniatur, qui conscius  
 fuit prodicionis, eamque non detexit, de eo v. BAYLE *Dict. hi-*  
*storique et critique v. Louis XI. n. M.* Propria itaque delinquen-  
 tis culpa est, si in eiusmodi graue delictum incidit, propterea quod  
 ipsi cognitum est, vel saltem debet; poenam grauem in delictum,  
 quod committere nullus dubitauit, esse statutam. Vnde in gene-  
 re statuendum esse arbitror, quod eo ipso, quo quis delinquit, per  
 consequentiam quoque in poenam consentiat, quoniam nouit, se  
 hoc delicto poenam hanc, vel illam mereri, et sic mauult, poenam  
 sibi infligi, quam alterum illaesum relinquere, *arg. l. 34. ff. de iure*  
*Fisc.* vbi dicitur, quod delinquens se ipsum poenae subdiderit. Conf.  
*l. vlt. C. ad Leg. Iul. Mai. et GROTIUM de I. B. et P. Lib. II. c.*  
*XX. §. 2.* Dissentit quidem PUFENDORF. *de I. N. et G. l. 8. cap.*  
*3. §. 5.* obiciens, minus recte dici, aliquem in poenam, delicto sta-  
 tutam, directo et immediate consensisse, aut se ex proprio consen-  
 su ad eandem sustinendam obligasse, cum nemo delictum admittat,  
 quin simul speret, sese latendo, vel alia ratione, poenam declinaturo-  
 rum, quem in finem locum ex THUCYDIDE subiungit sequen-  
 tem: *constitutum est in rebus publicis capitis supplicium multis deli-*  
*ctis, tamen homines spe incitati, pericula capessunt, nec quisquam de-*  
*sperans insidias successuras in ancipitem se casum dare solet.* At  
 enim vero huic dubio satis respondit HOPP. *in Comm. ad pr. I.*  
*de obligation. quae ex del. nasc.* docens: haud sequi ex adducta Pu-  
 fendorfii ratione, delinquentem in poenam plane non consensisse.  
 Consentit enim utique, si non pure, ad minimum tamen sub conditio-

Ordinarie  
 nulla poena dici  
 potest nimis  
 grauis.

Quilibet de-  
 linquens in  
 poenam con-  
 sentit.

Dissentit Pu-  
 fendorf.

X

ne, si nimirum illa impunitatis spes ipsum sefellerit. Atqui addit Vir Doctissimus, talis consensus est etiam verus consensus: sicuti enim, qui v. g. in deposito casum fortuitum incendii in se recepit, etsi speravit, eum casum non exiturum, attamen euenientem, ex voluntate sua praestat, ita et qui spe impunitatis, quae tamen ipsum sefellit, aliquid suscepit delictum, ideoque punitur, non potest non in ipsam poenam dici consensisse. v. HILLIG. *ad Donell. l. 15. c. 23. lit. B.* Bene itaque STRVVIVS *Exerc. 48. th. 3.* dicit, qui delinquit, perinde, vt in contractibus, voluntate et factio suo videtur se obligare poenae, nec non restitutioni: quia crimen non potest non esse punibile, ac, qui directe vult peccare, per consequentiam et poenam mereri vult. Amplectuntur hanc sententiam VASQVIVS *controu. illustr. l. 1. cap. 28. n. 12. 13.* BRVNEM. *Exerc. 23. ad l. tit. d. publ. iudic. n. 6. alique,* quos citauit HOPPIVS *l. alleg.*

§. XI.

*Conclusio.*

Ex his, quae hactenus prolixius enarraui, facile coniecere licet, quod in dictandis et infligendis poenis, normam praebere debeat tranquillitas et securitas reipublicae, adeo, vt eae actiones, ex quibus maxima in rempublicam mala redundant, ex quibus tranquillitas et securitas ciuium vel maxime laeditur v. c. crimen perduellionis, furtum, homicidium, adulterium, proditio, seuerissime sint puniendae, quae secus se habent, remissius. In iis enim actionibus, quae securitatem non adeo laedunt publicam, temperamentum poenarum capitalium, cum circa numerum, tum circa modum easdem exercendi, ipsae regulae sanae rationis suadent, ne, impositis poenis nimis atrocibus in quoduis delictum, praeter necessitatem affligatur respublica. Etenim in posterioribus, delictis, inquam, rempublicam non admodum laedentibus, locum habet vulgatum illud iuris dictum; cessante legis ratione, cessat et legis dispositio, ideoque hoc posteriori casu poenae, quam fieri potest, mitissimae, legibus adiiciendae sunt.

§. XII.

*Conseclaria.*

In genere notandum in hac doctrina esse arbitror, falli eos opinione sua, qui 1) statuunt, quod proportio debeat obseruari inter e. g. furtum, et vitam hominis v. STRYK. *in Vsu Mod. tit. de Furtis §. XI. ibique alleg.* abhorretere, 2) a fide, quod atrocitas deli-

cti

Si in se sit consideranda, quodque proinde furtum sit mitius puniendum, quam homicidium, quin potius 3) in irrogatione poenarum non ad delicti quantitatem, i. e. ad rem, circa quam delinquitur, sed ad qualitatem, id est, dolosam legis transgressionem, et exinde provenientem violatam ac turbatam societatem humanam, sit respiciendum. Hinc nullus dubito, exempli loco allegatam poenam laquei, in crimen furti statutam, pro iusta haberi debere, qua de materia, qui plura videre cupit, adeat HOPPIVM in *Comment. ad §. 3. F. de obligat. quae ex delict. nasc. in usu hod.* CLASEN. ad art. 162. *Const. Crim. et* CARPZO V. *prax. crim. qu. 77. n. 7. seqq.* qui poenam laquei ab imputata iniquitate vindicarunt.

§. XIII.

Satis haecenus de necessitate, natura, fine, atque applicatione poenarum actum est, nunc propius mihi ad scopum venienti, discipulandum duco: an, et quatenus, confessio in criminalibus spontanea eo polleat effectu, ut ad poenam capitalem vsque deueniri possit, licet deficiat corpus delicti. Quae quidem quaestio, ut paulo accuratius perpendi possit, recurrendum est ad §. V. ubi *violatam legem prohibitiuam, communis reipublicae tranquillitatis tuendae ergo.* Malum illud ab imperante sibi subditis proponitur, et eum in finem, tanquam sanctio publica, rite promulgatur, ut in omnium notitiam veniat, nec quisquam de ignorantia poenae iustam conquerendi habeat causam, multo minus ob id, quod ignorauerit, poenam eiusmodi duram in crimen, a se commissum, statutam esse, a poena, ipsi infligenda, se liberare possit; quin potius, quum propositio poenae ciuibus cognita sit, vel ad minimum debeat, delinquens, crimen committendo, et contra legem scriptam agendo, in poenam illam, quae in delictum statuta est, consentiat, conf. §. IX. Ex quo apparet, quod eiusmodi delinquens, consentiendo in poenam, se imperanti, et reipublicae, erga quam delinquit, obstringat ad debitum quoddam praestandum, i. e. poenam sustinendam. Nunc vero inter omnes constat, neminem ad debitum soluendum, esse obligatum, nisi quod probatum, et certum est. Ergo inde fluit, nemini poenam irrogari antea posse, quam de delicto, i. e. delicti veritate, vel ex inspectione oculari, vel saltim probabiliter constet. Praesupponit poena infligenda, delictum, siue

*Ad poenam capitalem infligendam requiritur, ut ante omnia constet de certitudine corporis delicti.*

*Delinquens se reipublicae erga quam delinquit, obstringit ad debitum praestandum, i. e. poenam sustinendam,*

factum contra legem prohibitivam sponte susceptum, quodque a lege obligationem ad poenam accepit. Neque enim confessio delinquentis sufficit *l. 1. §. 17. l. 17. ff. de quaest.* sed ad dictandam poenam ordinariam, iudex de corpore delicti, i. e. de veritate facti, quo dolo ciuitas, vel priuatus laesus est, et crimen siue delictum audit, certus esse debet, vt vno ore fere omnes tradunt Doctores secundum *CARPZOV. Pr. Crim. qu. 16. n. 1. ibique alleg. it. dec. 197. n. 1. et p. 4. const. 3. def. 16. FINCKELTH. Obs. 105. n. 14. MARTIN. ad Proc. tit. 20. rubr. n. 83. MEY. conf. 100. n. 26. et conf. 110. n. 133. STRYK. Vf. Mod. Pand. tit. de Conf. §. 10.* Clare id constituit *Carolus V. in art. XXII. Const. Crim.* voluitque: Daß niemand auf einigerley Anzeigung, Argwohn, Wahrzeichen, oder Verdacht, endlich zu peinlicher Strafe soll verurtheilet werden, sondern allein peinlich mag man darauf fragen, so die Anzeigung als hernach funden wird, genugsam ist. *Et Ord. Pol. Sax. de a. 1612. tit. von Justitien-Sachen §. 6.* ibi: zuzörderst oder jedesmahl fleißige Erkundigung de corpore delicti eingezogen, adde *Constitut. Elect. 33. part. 4.* et in Rescripto quodam clementissimo, de dato Anneberg 5. Ian. 1579. quod exstat in *Cod. Aug. P. I. p. 1078.* hisce loquitur verbi Potentissimus Saxonum Elector, D. Augustus, gloriosissimae memoriae. Jedoch daß man sich in alle Wege zuvor, und ehe dann die Todes-Straffe ergehe, eigentlich erkundige, und gewiß sey, daß auch die That und Mißhandlung, damit der Verbrecher beschuldiget, und darum er gestraffet werden soll, würcklich geschehen. Sic respondit inclyta Facultas Iuridica Wittenbergensis a. 1700. verb. Wie dann in denen Fällen, da die lebens-Straffe erkannt wird, bloße Vermuthungen, ohngeachtet sie sonst stark, nicht genugsam, sondern zu Erkundigung des Corporis delicti eine gängliche Gewißheit erfordert wird, teste perillustri *BERGER p. 2. resp. 71.*

## §. XIII.

*Index de corpore delicti sollicitus esse debet.*

In veritatem inquirere ergo debet iudex, siue quaestionem habere, an delictum reuera sit commissum, nec ne? *L. 1. §. 24. ff. d. Sc. Silan. et in art. VI. Const. Car. cauetur:* Sich erkundigen, und fleißig Nachfragens haben, ob die Missethat, darum er angenommen, berüchtiget, und verdacht, auch beschehen sey, oder nicht. Vti enim in causis ciuilibus non aliter confessus pro indicato habetur, quam si certum confessus sit *l. 3. et 4. C. de sentent. quae sine certa quant.*

quant. profertur. l. 3. l. 6. in pr. ff. de Confess. STRYK. VJ. Mod. tit. de Conf. §. IIX. Sic in causis capitalibus nequitiam sufficit, si reus fateatur, se deliquisse, PARIS DE PVTEO in tr. de Syndicat. in verb. tortus Cap. X. n. 2. nisi simul dicat, quale delictum a se perpetratum sit, et reuera tale delictum commissum esse, et quidem in eo loco, in quo factum asseritur, postea appareat, l. 1. §. 24. ff. de SCto Silan. l. 1. §. 27. ff. de Quaest. PROSP. FARINAC. in pract. crim. l. 3. qu. 81. cap. I. n. 21. et 24. Tantum itaque abest, ut iudici competat facultas, ob solam rei confessionem poenam capitalem in aliquem statuendi, ut potius antea ipsum corpus delicti elucere debeat, idque eo magis, quo minus in potestate delinquentis est, sua confessione facere delictum, ubi nullum est crimen. CARPZOV. Decif. Illust. Sax. P. II. Dec. 197. n. 1. et 2. ibique alleg.

Ob solam confessionem haud dictari potest poena capitalis.

## §. XV.

Quandoquidem itaque iudex ex officio inquirere debet in veritatem delicti, hinc facile apparet, mediis quibusdam, ad illam inuestigandam, opus esse. Aliis autem, veritatem inueniendi, mediis maiores nostri vti sunt, alia vero hodie in foro criminali obseruantur remedia, et partim legibus, partim moribus inualuere. Ad media, quibus in antiquis illis temporibus fora criminalia repleta erant, refero probationes, quae vulgares nuncupantur, siue Ordalia, quibus Deum veritatem manifestare, falso sibi persuadebant iudices. Sic apud Germanos in frequenti vsu olim fuit probatio, vel purgatio per duellum, imo ipsi Imperatores, Henricus II. V. F. 2. et Fridericus I. II. F. 27. huncce probandi modum constitutionibus suis comprobant. Adhibita fuit etiam exploratio per ferrum candens LEIBNIZ. rer. Brunsv. tom. III. p. 437. n. 53. item aquam feruentem etc. Agnoui quidem iam olim Rex Rotharis L. 23. T. 9. L. 1. LL. Longob. impiam esse illam probationem, vel purgationem per duellum, eamque reprobavit, sed tamen addit, eam vetari non potuisse. Conf. RITTERSHVS. L. II. c. 10. qu. 28. MADER. diff. de duello. Merito itaque, postquam hodie, per Dei gratiam, res criminalis in meliorem perducta est statum, reprobantur, et penitus abrogata sunt falsa ista, veritatem delicti inueniendi, media, certioribus horum in locum, et quae magis rectae rationi, et principis sanioris philosophiae conueniunt, introductis. Neque enim Ordalia vlla recta ratio commendat, nec in principio quodam naturali

Ad corpus delicti inuestigandum, mediis quibusdam opus est.

De mediis, quae apud veteres in vsu fuerunt.

fundamentum collocatum habent, sed vel a superstitionosa credulitate, contra omnem rationem producta, vel ex gentium institutis idololatricis, ortum suum nata sunt, ut probationes per aquam, ignem, per duellum, et similes, de quibus pererudite pro more suo egerunt viri Illustr. BOEHM. in *diss. de Probatione in criminalibus spuria*, THOMASIVS in *diss. de Iudiciis Westphalicis*. Bene ac sapienter de conditione fori criminalis in hisce temporibus iudicat PARIS DE PVTEO, in haec verba erumpens: *maiora ferre latrocinia in iudiciis, quam a latronibus in sylvis committuntur, praesertim si antiqua tempora, quibus fora criminalia foedissimis repleta erant naevus, intueamur.* Eo maiori itaque iure, et ob causas admodum graues *Ordalia* ista abrogata, et ex foris nostris proscrip-  
ta sunt, quo magis constat, *ordalia* illa impietatem, et superstitionem secum ferre, modosque hosce probandi valde fragiles esse, atque incertos. Conf. RITTERSH. *L. II. c. 10. qu. 38.* quid quod? inficias ire vix quisquam poterit, in antiquis illis temporibus poenas saepius eiusmodi hominibus inflatas fuisse, qui nullius criminis rei fuere, saepiusque alterum pro altero atrocissima poena affectum esse. Id autem iuri diuino tam connato, quam reuelato repugnat, quod neminem propter delictum alterius plectendum esse, dicit. Optime de hoc iudicat *Autor dans l'essai de jurisprudence*, qui Parisiis a. 1694. prodiit, p. 316. *Quel desordre, inquit, quelle desolation dans la société? si la plus pure innocence est un sauvegarde mal seure contre les emportemens de la justice irritée: si les crimes, que nous n'avons point commis, nous font criminels; si pour le crime d'un autre la loi, et ses ministres nous condamnent a vivre, et quelque fois a naitre miserable; si les peines vont ainsi nous chercher dans l'avenir, ou du moins nous attendent au premier moment de notre naissance.*

## §. XVI.

*Iure Carol.*  
*duae saltim*  
*condemnandi*  
*causae sunt*  
1) *Plena pro-*  
*batio, s. con-*  
*uictio.*

2) *Confessio.*

Remedia, quibus hodie veritatem criminis explorant iudices, in duas abeunt classes, vel enim 1) exploratur delicti veritas per plenam probationem, eo effectu, ut reo, crimen confiteri nolenti, legitime tamen conuicto, poena capitalis infligatur, *art. 22. 67. et 69. Const. Cr. Car.* aut 2) per confessionem delinquentis propriam, et legitimam, si nempe reus ipse liquidis verbis afferit, se esse delicti autorem, se perpetrasse id, de quo est inquisitio, qua nulla clarior pro-

pro-



probatio datur *arg. l. 1. ff. de Conf. conf. l. 5. ff. de Conf. l. 5. ff. de custod. et exhib. reor. l. ult. C. de execut. rei iud. et WILLENBERG. in diff. de inoffic. crim. confess. §. 1. seqq.* Neutiquam vero requiritur, ut ad poenam capitalem infligendam, utraque species, et confessio, et conuictio, *coniunctim* adsint, sed *alternatiue*, et confessio, aut conuictio sufficit. *art. 22. et 69. Nem. Carol.* Luculenter sagittis hoc confirmatum legitur in *l. 16. C. de poenis*, in qua alterutrum tantum, vel ut reus confessus sit crimen, vel ut de eo legitime sit conuictus, desideratur. *Conf. Dion. Gotthofr. in not. ad h. leg.* Conuenit quoque huic dispositioni Ius Canonicum, siquidem compilerator Decreti, *Gratianus*, eandem *Constantini* dispositionem, *c. 2. C. 2. q. 1.* sequentibus verbis in compendio collectioni suae inseruit. *Iudex criminofum discutiens, non ante sententiam proferat capitalem, quam aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes testes conuincatur*, atque a diuo *Augustino Homil. 50. de utilitate Poenit.* nec non a Pontifice *Felice*, in *c. 1. et 5. C. 2. q. 1.* eadem legitur sententia: Similiter in Legibus Germanicis *Carol. M. in capitular. L. 15. c. 156. et Carolus V. in Ord. Crim. alleg. art. 22. conf. CARPZ. Pr. Cr. P. III. qu. 114. n. 1.* ibique alleg. Eidem accedunt sententiae Ill. *BOEHM. in diff. de Poena sine crimine*, et celebr. *DINKLERVS in diff. de differentiis Iuris Communis et Lubecensis Criminalis.* Quod si enim delinquens ordinaria probatione de scelere commissio sit conuictus, non opus est, per extraordinarium, dubiumque torturae remedium, ulterius eruere veritatem, semel probatam, sed conuictus potius condemnandus est. *V. KRESSII Comment. in Const. Crim. Car. in not. ad art. 69. CARPZ. Pr. Crim. qu. 116. n. 36. seqq. STRVV. Syntag. Iur. Ciu. ex. 49. th. 97. in f. III. BOEHM. in introd. ad ius D. tit. de quaeft. n. 8.* Ius Ciuile admittit etiam: suspectum de crimine condemnari posse ex *grauissimis suspicionibus.* Etenim in *l. fin. C. de probat.* tria remedia, quibus crimina probari possunt, proponuntur 1) per testes 2) per documenta, 3) per indubitata indicia. Ita Imperator *Constantinus* in *l. 16. C. de Poenis* ad *Catulinum Proconsulem Africae* rescripsit: *Qui sententiam laturus est, temperamentum hoc teneat, ut non prius capitalem in quempiam promat, seueramque sententiam, quam in adulterii, homicidii, vel maleficii crimine, aut sua confessione, aut certe omnium qui tormentis vel interrogationibus fuerint dediti, in vnum conspi-*

*Harum altera solum sufficit ad poenam capitalem infligendam.*

*Ius Ciuile tria proponit remedia crimina probandi.*

*rante,*

*rante, concordanteque rei finem conuictus sit. Cum quo coniungendum rescriptum Imp. Grat. Valent. et Theod. in l. f. C. de Probat. in quo statutum, accusatores eam rem in publicam notionem deferre debere, quae munita sit idoneis testibus, vel instructa, apertissimis documentis, vel iudiciis ad probationem indubitatis, et luce clarioribus expedita. Quibus ex duobus rescriptis, vt et L. 34. C. ad Leg. Iul. de adult. satis manifesto apparet, capitalem et seueram sententiam in reum dici posse, si vel testibus, vel apertissimis documentis, vel indubitatis ad probationem iudiciis et luce clarioribus, conuictus sit. Instrumentis porro non denegandam esse fidem ex l. 15. C. de fide instrum. euincitur, vbi Constantinus Imperator constituit, in exercendis litibus eandem vim obtinere, tam fidem instrumentorum, quam depositiones testium. Quod quoque haec constitutio Constantini aequae in criminalibus, ac civilibus causis locum habeat, et Imperator inter civiles, et criminales causas, distinctionem non adhibuerit, ex eo apparet, quod *litibus* verbo vtitur, vtrisque causis communi l. 3. C. de his qui accus. non possunt, l. 20. ff. de accus. Accedit et hoc, quod idem Imperator in probando *falsi* crimine statuatur, adhiberi posse testes, scripturarum collationes, aliaque veritatis vestigia l. 22. C. ad Leg. Corn. de fals. adde ANT. MATTH. de Crim. Lib. 48. tit. 15. c. 5. Hinc concludo, probari posse per instrumenta, crimina perduellionis, falsi, (si per scripturam commissa) libellum famosum, iniurias scriptas, Conf. BRVN- NEM. *process. inquis. c. 8. m. 2. n. 3.**

## §. XVII.

*Veritas est vel Apodictica vel Probabilis.*

*Demonstratio quid?*

Dixi supra, iudicem de veritate delicti sollicitum esse debere; Veritas itaque quid sit, quibusque ex argumentis, iudici de veritate criminis admissi, constare possit, de eo in praesenti mihi est agendum. Est autem *veritas* duplicis generis, et quidem vel *Apodictica*, s. *demonstratiua*, vel *Probabilis*. *Demonstrationem* quod attinet, eam tunc existere, sentio, quando ex principio indubitato *thesis probanda deducitur*, id quod duabus fieri potest vicibus. Vel enim in demonstranda aliqua veritate initium totius demonstrationis a principiis facimus, atque ab iisdem successiue ad conclusiones progredimur, et hoc casu demonstratio vocatur *Synthetica*, vel a conclusionibus probandis, et demonstrandis incipimus, eas probationibus ac rationibus suis, hasque iterum aliis, tamdiu confir-

mamus,

manus, donec vltimarum probationum loco euidentiſſima, primaque veritatis principia occurrunt, quae vltiorem probationem neque requirunt, neque admittunt, et haec demonstratio *Analytica* nuncupatur. Quoties itaque veritas rei probandae ex firmo atque indubitato principio deducitur, toties adest demonstratio modo 1) *directa*, si ex euidenti principio res concluditur, siue id fiat, a) *a priori*, quando a causa ad effectum, sine b) *a posteriori*, quando ab effectu ad causam proceditur, modo 2) *indirecta* dum sententiam, cuiuscunque oppositam falsam esse, demonstro, et sic veritatem meae sententiae per oppositae falsitatem deduco e. g. in quaestione: an bellum sit licitum, directa demonstratio haec est; si licet vitam atque bona seruare, sequitur, quod etiam liceat repellere, qui mihi volunt vitam atque bona eripere. Atqui verum est prius. E. et posterius. Indirecta vero demonstratio ita in dato exemplo potest institui: Si bellum non esset licitum, sequeretur quod Deus in V. T. peccasset, cum bellum gerrere, Israelitis mandasset. Atqui absurdum est posterius. E. et prius.

## §. XVIII.

Ex his, quae de veritate apodictica breuis saltem verbis annotata sunt, facile apparet, hunc, veritatem per demonstrationem cognoscendi, modum in foro criminali non dari, eumque in nullo delicto adesse posse, nisi solummodo in stupro, et adulterio. CARPZ. *Pr. Cr. Qu. 16. P. 1.* Si enim per sensus ex inspectione oculari constat, virginem esse grauidam, et ex grauiditate partum edidisse, stuprum plene probatur III. BOEHM. *in diff. de Probat. in crim. spur. §. 2.* Vel si vxor, marito iam per aliquot annorum spatium in aliis oris existente, grauida facta, tunc certo constat, et euidentis est, adulterium ab ipsa esse commissum. Praeter hosce duos casus absoluta rerum certitudo in criminalibus obtineri nequit. Hinc, quoties de veritate delicti in foro criminali quaestio oritur, toties recurrendum ad probabilitatem, de qua pauca annotabo. Ad omnem vero rei alicuius, mere possibilis, probabilitatem, tria potissimum requiruntur, obseruante celebr. HOLLMANNO *in Introd. in Vniu. Philosoph. Tom. I. §. 231.* nimirum 1) vt sit res in se possibilis, h. e. quae nullam inuoluat contradictionem, 2) cum circumstantiis, in rebus vere existentibus obuiis, consentiat, sed ita, vt 3) non omnem oppositi possibilitatem excludat, h. e. vt alias res posibles superesse, non repugnet, quibuscum circumstantiae eadem aequae consentire queant. Praeuissis his requisitis, ipsius probabili-

*Veritas apodictica in delictis haberi non potest.*

*Exceptio tamen est in stupro et adulterio.*

*Ad omnem probabilitatem tria requiruntur.*

XVIII

**Definitio probabilitatis.** tatis definitionem facile suppeditare possum, nempe quod probabilitas consistat in consensione circumstantiarum cum re, (facto,) in se possibili, veritatem rei, (facti) quomocunque persuadente, non omnem

**Demonstrationis a probabilitate differentia.** tamen oppositi possibilitatem excludente. Differentia probationis probabilis a demonstratiua latet in principiis. Nam demonstrationis principia consistunt in definitionibus, axiomatibus, experientis indubitatis, et propositionibus iam demonstratis, ac non nisi certis, fides vero probabilis admittit principia, et indicia saltim probabilia. v.

cel. WOLFFIVM in *Philosoph. rationali Part. II. Sect. I. Cap. 3. §. 588.*

§. XIX.

**Tres dantur probabilitatis gradus.**

Non de ipsa vero probabilitate solummodo, verum etiam de eius gradibus iudicare licet ex iisdem fundamentis, et concludere: quod, quo maior adsit consensus circumstantiarum cum re vel facto, de cuius veritate disquiritur, eo maior etiam adsit probabilitas, quo et illud continetur, vel ex eo sequitur, vt, quo minus circumstantiae cum re, vel facto probando conueniant, eo minus probabile illud quoque dici possit. Hinc fides probabilis obseruante B. THOMASIO in *diff. de Fide Iuridica c. 1. §. 31.* suis gaudet gradibus, qui gradus in tres classes commode diuidi possunt, vel vt gradus probabilitatis sit *summus*, vel *medius*, vel *infimus*.

§. XX.

**De infimo probabilitatis gradu.**

*Infimus* fidei probabilis gradus est: quando eiusmodi circumstantiae, quae saepe fallunt, cum facto probando concurrunt. Hic ex eiusmodi argumentis trahitur, quae magis fallunt, quam veritatem arguunt, interim tamen dubii aliquid relinquunt, et suspensum tenent iudicis animum. Conf. BOEHM. *diff. de Crim. suspect. Cap. 1. §. 8.* Pertinet huc *fama*, quae quidem fallax, hominesque haud raro decipit, interim tamen leui suspicioni locum non sine ratione relinquit. Sic, qui interrogatus de crimine paller, suspectus quidem creditur tantum autem abest, vt ideo delicti autor dicatur, vt potius alia ratio? e. g. naturalis timor, in causa esse possit, cur palleat. Canonistae hunc infimum probabilitatis gradum, exemplo clerici, mulierem amplectendo deprehensi, illustrare solent, quod non ex libidine, sed *animo benedicendi*, id facere credendus sit, quamuis non omnis desit suspicio sinistra Conf. *Gloss. in c. 14. Caus. 11. qu. 3. c. 8. D. 96.* Non desuere quidem, qui clericos ab omni mali suspicionem absolueri voluerunt, dicentes: quod clericus, si osculum mulieri praebet, facere id praesumatur *zelo charitatis*; argute tamen ad hoc respon-

spondit NEVIZAN. *in Sylu. nupt. l. 4. §. est nubendum n. 76.* inquires: *a tali charitate libera nos domine.* Aequalis E. contra clericum aequae ac laicum, militabit suspicio. PROSP. FARIN. *Pr. Crim. Qu. 136. n. 203.* Hic gradus probabilitatis infimus parum ab incognito abest, ut verbis THOMASII *c. diff. c. I. §. 51.* utar, scilicet, quod ab una parte vix verisimile, ab altera vix veridissimile est, ideoque nemo ob id, quod suspectus sit ex his leuibus argumentis in ipsius delicti poenam incurrere potest, uti exemplo declarat *Carolus in art. 21. C. Crim.* Huc pertinet sententia VLPIANI *in l. 5. ff. de poenis in pr.* quando dicit: *de suspicionibus neminem condemnari debere*, propterea quod suspicionum appellatio ut plurimum leuiore coniecturas denotat, obseruante STRYKIO *diff. de suspic. c. I. n. 42.*

Eius effectus.

## §. XXI

*Medius probabilitatis gradus* occurrit, quando circumstantiae eiusmodi sunt obuiaae, quae, licet fallere possunt, rarius tamen fallunt. Hic fidei probabilis gradus propius quidem veritati accedit, quam infimus, indicia tamen, huc occurrentia, neququam plane probant, sed solummodo ita comparata sunt, ut iudicem quodammodo inducere possint, ad credendum, suspectum delicti esse autorem, et hic suspicionis gradus semiplena probatio ut plurimum nuncupatur. Interim tamen nec in hoc gradu suspicio delictum constituit, sed quoniam illa argumenta in iure criminali ad hunc gradum pertinent, ob quae, delicto atrociori imputato, torturae locus esse potest, id efficiunt, ut iudex de illa, tanquam eruendae veritatis medio, sollicitus esse debeat. Conf. Ill. BOEHM. *diff. de Crimine Suspecti*, et THOMASII *diff. de Fide Iur. Cap. I. §. 51.*

De medio probabilitatis gradu.

Eius effectus.

## §. XXII.

*Summum* denique probabilitatis gradum, qui ad certitudinem cognitionis proxime accedit, existere, censeo, quando tales circumstantiae occurrunt circa rem, siue factum aliquod probandum, quae rarissime fallunt. Operatur hic summus fidei probabilis gradus ut plurimum *certitudinem moralem*, qua imbutus, non potest non assertioni affirmatiuae, vel negatiuae, accedere, v. c. si duo testes, omni exceptione maiores, deponunt de actu quodam, cui ipsimet interfuerit, deque omnibus circumstantiis, quibus actus iste absolutus arguitur, idque eo magis, quia duobus testibus etiam ex decreto diuino tamdiu fides in factis controuersis habenda, donec contrarium probatum satis fuerit. Referendae huc sunt *tabulae probatae*, et *indubi-*

De summo probabilitatis gradu.

Eius effectus.

*tata indicia*, quae sunt facta, vnde aduersus aliquem delicti perpetrati argumentum capitur. Haec veritatem rei nobis persuadent, ex iisque crimina probari posse *de iure ciuili*, euincit *l. fin. C. de probat. et plenius* deducit ANT. MATTHAEI *de Crim. ad Lib. 48. lit. 15. c. 6.* Vno verbo: *pro conuicto* reus habetur, nec amplius suspectus dicitur, sed certitudo potius moralis subesse creditur. Et talis, *summus* inquam, probabilitatis *gradus* desideratur ad poenam, vel capitalem, vel corporis afflictiuam, infligendam, *l. 34. in fin. C. ad Leg. Iul. de*

*Probabilitatis fundamentum.*

*adult.* Ita enuntiandum censeo. Fundamentum enim probabilitatis in eo est collocandum, quod nimirum factum quoddam probatum sit, quo existente, factum non probatum pariter existere soleat. Quo frequentius vero factum non probatum simul cum facto probato existere solet, eo fortior emergit gradus probabilitatis. In genere autem de hactenus enarratis tribus probabilitatis gradibus annotandum, il-

*Gradus probabilitatis in reclaratione fundati sunt.*

los fundamentum suum in recta ratione positum habere, quippe qua homines ex circumstantiis concurrentibus, veritatem facti alicuius vel *certo*, vel *probabiliter* cognoscere possunt, adeoque ad artem cogitandi siue *Logicam* proprie spectare. Ex eiusmodi principiis naturalibus fluebat iudicium Salomonis, quod etiam *in c. 2. X. de praesumpt.* enarratur; Colligebat sapientissimus ille rex ex eiusmodi principiis, in recta ratione fundatis, quae esset legitima infantis mater, probe gnarus, ob affectum naturalem non posse non veram prolis matrem se manifestare. Sic: si solus cum sola, nudus cum nuda, in eodem lecto iacentes, deprehensi fuerint, qui tamen legitimo matrimonii vinculo inter se haud sunt coniuncti, admodum probabile est, adulterium fuisse commissum, id quod rursus naturali gaudet ratione, ex mortalium indole, siue natura, ad vitia admodum procliu, deducta. *vid. c. 12. X. de praesumpt.*

### §. XXIII.

*Summus probabilitatis gradus sufficit ad poenam capitalem infligendam.*

Summum probabilitatis gradum sufficere ad poenam capitalem infligendam, et corporis afflictiuam dictandam, ex iis, quae modo dicta sunt, liquido constare autumo. Nunc inuestigabo, an talis probabilitatis gradus summus in criminalibus adesse possit, etiamsi directo per sensus de corpore delicti constare nequeat. Equidem supra §. XIII. demonstratum est, iudicem neminem ad poenam capitalem rapere antea posse, quam ipsi, de veritate criminis, vel, uti DD. loquuntur, de certitudine corporis delicti, constet. At enim vero hoc iuris brocardicum non aliter, quam cum grano salis, et ita, quantum scili-

scilicet possibile est, ac natura delicti admittit, intelligendum, idque eo magis, quia haec limitatio non solum ex recta ratione fluit, qua ad impossibilia nemo obligatur, sed et praeterea in ipsa *Const. Crim. Car. art. 6.* fundata est, vbi ita Imperator constituit: **Darzu soll auch ein jeder Richter in dieser grossen Sache von der peinlichen Frage, so viel möglich, und nach Gestalt und Gelegenheit einer jeden Sache geschehen kan, sich erkundigen, und fleißige Nachfrage halten, ob die Missethat, darum er angenommen, berächiget und verdacht, auch beschehen sey, oder nicht.** Talis itaque probatio corporis delicti sufficit ad poenam capitalem reo infligendam, qualis pro ratione criminis, et facti imputati, haberi potest, ne delicta maneant impunita, *arg. l. 51. ff. ad Leg. Aquil. l. 14. C. de poen. VINCENT. DE FRANCH. dec. 98. n. 2. CARPZOV. Decif. P. II. D. 197. n. 29. et Pr. Crim. P. III. qu. 76. n. 50.*

*Brocardicum iuris, quod de corp. d. constare debeat, cum grano salis accipiendum.*

*Talis probatio corporis delicti sufficit ad effectum poenae capitalis infligendae, qualis pro ratione criminis haberi potest.*

## §. XXIV.

Hinc *duplicem* corporis delicti significatum deprehendimus, quorum alter *corpus delicti verum*, idque *in delictis facti permanentis*, alter vero *corpus delicti fictum*, et quidem *in delictis*, quae *facti transeuntis* nuncupantur, constituit. *Corpus delicti verum* ex ipsa verborum vi, atque indole nomen suum sortitur, et significat *effectum, ex delicto immediate, et semper, resultantem, in quantum nimirum in sensus externos incurrit.* Quare in homicidio ipsum vulnus lethale, in furto res ablata, in incendio res combusta, corporis delicti vicem sumit. Distinguit E. corpus delicti pro diuersitate sua, ipsas species delictorum, licet non sit dissimulandum, idem corpus delicti constare posse in criminibus, quae non genere, sed gradu a se differunt, cuius rei exemplum praebet furtum violentum, et furtum simplex, quippe quae duo genera furtorum idem corpus delicti agnoscunt. Quando itaque iudici de veritate criminis, sensuum experimento constat, tunc *Corpus delicti verum existit.* Non autem hoc in omnibus, sed tantum in illis potest haberi delictis, quae facti permanentis vocantur, et vestigium post se relinquunt, quod oculis subici potest. Sunt vero delicta facti permanentis ista, quorum effectus *in sensus externos incurrens, diutius durat, quam ipsa delicti consumatio.* Et his in criminibus informatio de veritate delicti facile institui potest, dum v. c. ex cadauere, eiusque sectione, de homicidio, de infanticidio, ex locis combustis, de incendio, ex scriptura, de ipso libello famoso iudicare licet. Quam maxime

*Corpus delicti est vel Verum vel Fictum.*

*Del. facti perm quae-nam?*

xime vero interest, vt in hisce delictis iudex de corpore delicti sensuum experimento certior reddatur, et quidem eum in finem, vt sciat, an delicto ea cohaereat forma, quae sufficit infligendae poenae, in delictum statuta, v. c. an furtum excedat valorem duodecim Ioachimicorum, totidemque grossorum. Sic iudex vel ipse, vel per notarium, vulneratum inspicere, oculisque vulnera lustrare debet, partim quo ex tali inspectione de facto ipso certus existat, prout requirit Ictus in l. 1. §. 24. ff. de SCT. Silan. partim vero, quo eo commodius indicia ex circumstantiis, contra inquisitum formare valeat. IO. BERNARD. MVS CATPELL. *Tract. de Cognitione delicti prooem. n. 13.* Debet enim

*In delictis facti permanentis confessio delinquentis non sufficit, ad poenam ipsi capitalem infligendam, sed corpus delicti verum requiritur.*

iudex in delictis subtilis esse inuestigator, vti legislator postulat in l. 10. §. 5. ff. de quaest. Et his in delictis, quae vestigia post se relinquunt, et facti permanentis inscribuntur, omnes fere Doctores statuunt: confessionem delinquentis solam non sufficere, sed ad dictandam poenam ordinariam iudici de Corpore delicti per sensus liquere debere. l. 1. §. 17. ff. de quaest. l. 1. §. 24. ff. de SCTo Silan. BRVNEM. *Comm. Pand. ad hanc leg.* CARPZOV. *P. I. dec. 90. n. 8. Conf. §. XII.* et GVI. LIELMI ROMANI *diff. de Corpore delicti in Criminibus facti permanentis potioribus ad effectum condemnationis desiderato.*

## §. XXV.

*Sufficit corpus delicti fictum in delictis facti transeuntis ad poenam capitalem infligendam. Corporis delicti ficti definitio.*

Ab hac vero regula, quod de corpore delicti per sensus iudici constare debeat, Doctores vno ore excipiunt alteram speciem delictorum, quae facti transeuntis audiunt, in quibus corpus delicti fictum, ad effectum poenae capitalis infligendae, sufficere, profitentur. Est vero corpus delicti fictum nihil aliud, quam *coniecta criminis, dolo commissi, certitudo, ex indiciis in iure approbatis orta, eumque in finem legis autoritate approbata, vt delicta eo proutius vindicentur.* Ipsum factum et delictum per hoc Doctores indignant, et quando iudici de Corpore delicti constare debere, asserunt, per hoc nihil aliud intelligendum, quam vt iudici de veritate et certitudine non solummodo facti, sed doli etiam concurrentis, ex circumstantiis, et indiciis, certo constet. Sufficit hoc corpus delicti fictum, quod non nisi in coniecturis atque indiciis consistit, ad poenam infligendam, in delictis facti transeuntis, quae commissa in oculos non incurrunt, nec vestigia post se relinquunt, qualia sunt omnia delicta occulta, veluti stuprum, adulterium, Venus mascula, incestus, sodomia etc., adeo, vt licet directo de Corpore delicti non constet, nihilominus tamen libere confessus poena capitali affici queat, modo legitima et sufficientia indicia concurrant.



currant. CARPZOV. *Pr. Crim. qu. 76. n. 50. et 52. qu. 108. n. 36.*  
 BRUNNEM. *Proc. inqu. c. 7. n. 6.* STRYK. *de iure sensuum diff. I.*  
*de Visu. C. In. 28.* Neutiquam vero iudex negligere debet, et in delictis  
 occultis oculari beneficio in circumstantias inquirere, quin potius  
 inquisitum de circumstantiis, vt et de loco, interrogare, postea eo se  
 conferre, et oculis perlustrare debeat, an confessio delinquentis con- *Iudex in cir-*  
 gruat circumstantiis, ab ipso in confessione allegatis, resque ita se ha- *cumstantias*  
 beat, prout eandem inquisitus enunciauerit, veluti, si sodomiae reus *inquirere,*  
 dicat, se in hoc loco confutisse, vbi cum vacca confueuerat, ex visu *oculis locum,*  
 diiudicabit iudex an ibi delicti consumatio fieri potuerit, i. e. an locus *vbi del. perpe-*  
 ita comparatus fuerit, vt ibi nefandum illud scelus committi potuerit, *tratum, perlu-*  
 nec ne? STRYK. *c. diff. n. 29.* *strare debet.*

## §. XXVI.

His itaque praemissis, facile iudicare licet de Effectu confessionis *Poena capita-*  
 spontanae in criminalibus, et asserere, quod etiam poena capitalis ob *lis interdum*  
 confessionem delinquentis locum habere interdum possit, etiam si de- *locum habet,*  
 ficiat corpus delicti. Hoc vero ante omnia praemonendum esse, arbi- *etiam defi-*  
 tritor, neutiquam hoc intelligendum esse de sola, et nuda confessione, *ciente corp-*  
 cum qua alia, contra confitentem, de crimine reuera commisso, non *del.*  
 concurrunt indicia, hoc enim casu ordinariam delicti poenam cessare,  
 inter omnes constat. *arg. l. 1. §. 24. ff. de Scto Silan.* CARPZ. *Pr. Crim.*  
*Part. I. qu. 16. n. 41.* *CONSTIT. ELECT. 33. part. 4.* Non defuere  
 quidem, qui contrariam asserere voluerunt sententiam, statuentes, ex  
 confessione spontanea, etiam non praecedentibus indiciis, aliquem  
 condemnari posse ad poenam capitalem, vt ANGEL. ARETIN. et  
 alii, quos recenset IOSEPH. MASCARD. *Volum. 1. de probat. con-*  
*clus. 353. n. 5.* et WERNH. *p. 4. Obs. 4. n. 8. seq.* affirmat: quandoque  
 solam rei confessionem, quod hominem occiderit, sufficere; recte ta-  
 men me supra dixisse arbitrator, neminem poena capitali ob solam  
 confessionem affici posse, si nimirum delicti corpus, neque per sensus  
 externos, vt in delictis facti permanentis necessario requirunt Do-  
 ctiores, neque per indicia probatissima, qualia in delictis, quae facti  
 transeuntis sunt, sufficere statuunt, appareat, propterea quod sola  
 confessio non efficit delictum, vbi reuera nullum est, E. nec poenam  
 operatur. *conf. §. XIII.* Atque haec sententia vel ideo approban-  
 da, quia accidere interdum solet, vt homines vel taedio vitae, vel ex  
 melancholia, vel ex animo desperato, aliaue ex causa perire volentes,  
 crimina fateantur, nunquam ab ipsis commissa. Hinc prudentis iu-  
 dicis

dicis officium est, in confessionibus spontaneis, ubi veritas delicti aliunde non apparet, inquirere in conditionem delinquentis, an recta ratione praeditus sit, vel non potius vsu rationis careat. Etenim si apparet, confessum eo ipso tempore, quo confessus est, melancholia, vium rationis prorsus excludente, laborasse, poena exulabit. BEYER *Del. Iur. Crim. ad art. 13. n. 27.* Conf. TABOR. *in Tract. de Confront. Part. I. th. 27.*

## §. XXVII.

*Sola rei de crimine commissio confessio, deficiente corp. del. non sufficit, ut poena capitalis infligi possit.*

*Bene v. si confessioni alia indicia verificabilia accedunt.*

*e. g. si duo testes deponunt de visu,*

*vel cum vnus testis iurata de visu depositione alia adhibita indicia concurrunt.*

Quandoquidem itaque sola criminis commissio, omnibus argumentis, iudiciis, ac coniecturis probabilibus, destituta, nequaquam eo pollet effectu, vt ad poenam capitalem perueniri possit, reipublicae vero interest, ne delicta maneant impunita, *arg. l. 51. ff. ad Leg. Aquil.* aliter certe sentiendum est de casu, si cum confessione libera, et spontanea, alia adhuc concurrunt indicia, et coniecturae, quae confessionem rei veritati conformem esse, summopere iudici persuadent, etiamsi deficiat corpus delicti. Omnis enim finis corporis delicti eo solummodo tendit, vt iudici de veritate delicti fides fiat; Quodsi itaque certitudo facti, siue criminis, quodque confessus autor eius fuerit, aliunde, ex iudiciis, inquam, atque coniecturis, in iure approbatis, certo appareat, cessat ratio, obquam corpus delicti requiritur, ideoque neque seueritatis, neque iniustitiae notam incurrere iudicem, autumo, si concurrentibus eiusmodi iudiciis, ac coniecturis probabilibus, et accedente rei confessione, poenam ordinariam, eamque capitalem dicitat conf. CARPZ. *Prax. Crim. Part. I. Qu. XVI. n. 17.*, veluti si duo testes iurato deponunt, se corpus delicti, i. e. cadauer hominis occisi vidisse *l. 12. ff. de Testibus*, conf. CARPZ. *Decis. 197. n. 24. 25.* Quidquod, ipsae litterae sacrae testibus duobus tamdiu fidem attribuunt, donec contrarium satis euictum fuerit, vt iam dictum est supra, vel etiam, si vnicus solummodo testis, omni tamen exceptione maior, iuramento confirmet, se ipsum oculis suis cadauer hominis occisi vsurpasse. Cum enim vnicus testis, de visu deponens, regulariter semiplenam probationem faciat, vti asserit et probat ANTON. GOMEZ. *Var. resol. Tom. III. Cap. 12. n. 2.* nullus dubito, si cum hac semiplena probatione alia adhuc indicia, veluti fama, aut sanguis repertus, inimicitia etc. concurrant, quin hoc casu confessio delinquentis satis vestita sit, eo effectu, vt a iudice poena capitalis tuto decerni queat, licet directo de corpore delicti non constet, quamuis nec hoc praetermittendum, quod eiusmodi testis debeat esse: ein guter tugendlicher Zeuge, vti

CARG-

CAROLVS V. *in art. 30.* loquitur. De iure quidem ciuili testis vnus non admittitur in argumento quaestionis *l. 20. ff. de quaest. l. 12. ff. de testibus, l. 9. §. 1. C. eodem* adde GRO T. *ad c. XIX. v. 11. Deuteron.* Carolus autem testem vnum admittit, *alleg. art. 30. Const. Crim.* E. iure Carolino fallit regula: *testimonium vnus est testimonium nullius, quicquid hic in contrarium afferant quidam Iuris Ciuilis Doctores.* Iure Carol. aliter quam Iur. Ciu. vnicus testis admittitur.

## §. XXVII.

Liquet, et vnanimo consensu a Doctoribus iurium criminalium asseritur, quod in delictis occultis, et quae difficilis probationis sunt, sufficiat constare de corpore delicti, ex coniecturis, siue indicis validis, iisque in iure approbatis. Ratio in eo consistit, quia delictorum, quae facti transeuntis nuncupantur, nulla solent remanere vestigia. Et, quamuis DD. hoc ipsum, ad delicta facti permanentis neuti quam extendant, ex ea ratione, quia in his corpus delicti verum haberi, et oculis perspicere potest, illud tamen non aliter accipiendum est, (vt supra non sine omni ratione dixisse arbitror,) quam quatenus de illo, corp. inquam delicti, *reuera* constare quoque possit, quin potius, interdum ab hac quorundam DD. opinione recedendum, vltimumque supplicium in delinquentem confessum, et indicis quasi conuictum, statuendum esse, putem, *arg. l. 34. C. ad Leg. Iul. de adult.* etiamsi delictum sit facti permanentis, corpusque delicti verum oculis subtrahatur, propterea quod non raro fieri solet, vt delicta facti permanentis, v. c. homicidium, infanticidium, ita comparata sint, vt partim cadauer hominis occisi nullo modo produci, et per consequens nec corp. del. oculis subiici possit, partim etiam veritas delicti ab inquisito commissi, aliunde, quam ex inspectione cadaueris, certo appareat. Fac enim, fateri infanticidam, cadauer infantis occisi a canibus, vel suis voratum esse, certe eo casu de Corp. del. directo, et ex inspectione cadaueris constare nullo modo poterit. Fac porro, adesse praeter confessionem reae spontaneam, indicia indubitata, et ea, quae in delicto facti transeuntis sufficerent ad condemnandum, an non in tali casu delictum facti permanentis, aequae ac transeuntis, ex confessione, et indicis validis, iisque in iure approbatis, satis probari poterit? eo effectu, vt, etiamsi inspicere cadauer non possit, poena tamen ordinaria, et capitalis, tuto infligi queat. Ego quidem dubitan-

*Interdum et in delictis facti permanentis vltimum supplicium locum habet, etiamsi sensuum experimento de corpore delicti constare nequeat.*

di rationem non video, cur non in tali casu, et in delicto facti permanentis, vltimum supplicium locum obtinere possit, partim ex eadem ratione, ob quam in delictis facti transeuntis illud infligi potest, licet de Corpore delicti directo non constet, nimirum, quia delictum illud vestigium quoddam durans, et corporale, quod ad iudicis notitiam peruenire potuisset, post se non reliquit, veritasque delicti, ex cadauere, ob eius defectum, plane non sensuum experimento probari potest, partim quia aliunde, quam ex inspectione cadaueris, de homicidio, vel infanticidio reuera, et ab inquisito commisso, constare potest.

*Limitatio.*

Non autem intelligo casus, vbi corpus delicti, licet difficile, haberi tamen potest, tunc enim iudici omni modo laborandum est, vt ex inspectione cadaueris de corpore delicti constet, v. g. in homicidio, an vulnus lethale fuerit; sed eiusmodi suppono saltim casus, vbi, omni licet adhibita diligentia, id fieri nequit, veluti si reus confiteatur, se hominem istum, quem interfecisse profiteretur, in mare, vel aquam profluentem proiecisse, vel si infans a suis vel canibus deuoratus, vel in ignem proiectus, ac combustus, vt ita plane sit impossibile, vt iudici ex inspectione cadaueris, de ipso delicti corpore constare possit. Et his, inquam, in casibus, iudex ob solam confessionem, concurrentibus tamen indiciis validis, poenam capitalem dictare omnino potest. Quid quod? ipse CAROL. V. in art. 6. Const. Crim. hoc voluisse, mihi quidem videtur ex hac ratione, quia CAROLVS in all. art. hoc ipsum, an scilicet delictum probatum fuerit, necne? arbitrio iudicis relinquit, in verbis: Darzu soll auch ein jeder Richter in dieser grossen Sache von der peinlichen Frage, so viel möglich, und nach Gestalt und Gelegenheit einer ieden Sache geschehen Pan, sich erkundigen, und fleißig Nachfragens halten, ob die Missethat beschehen sey oder nicht. Quod si itaque iudex solummodo, in quantum possibile est, de certitudine corporis delicti sollicitus esse debeat, nihil attinet quoque, eiusmodi in criminibus, vbi corpus delicti verum nullo modo haberi potest, iusto diutius haesitare, an ob confessionem spontaneam, et accedentibus indiciis legitimis, confessum vltimo supplicio tradere debeat, nec ne? Militat pro hac quoque opinione art. 60. Const. Crim. Car. ex quo clare apparet, confessioni plenam adhibendam esse fidem, et indubitatum, si coniecturae probabiles confessioni accedunt, et consistens tales circumstantias indicit,

*Probatum ex  
art. 6. et 60.  
C. Cr.*

dicat, quas non nisi criminis conscius aperire potest, quo casu poenam capitalem a iudice dictari debere, ipse CAROLVS V. in c. art. 60. expressis verbis constituit: So auf erfundene redliche Anzeigen einer Missethat halben peinliche Frage sůrgenommen, und auf Bekánnniß des Gefragten fleißige mögliche Erkundigung, und Nachfrage geschicht, und in derselben benannten That halben solche Wahrheit befunden würde, die kein Unschuldiger also sagen, und wissen könne, alsdenn ist derselben Bekánnniß unzweifelicher bestándiger Weise zu glauben, und nach Gestalt der Sachen peinliche Straffe darauf zu urtheilen &c. Conf. BOSSIVS in rit. de delictis n. 17. et IVLIVS CLARVS in pract. §. fin. qu. 55. n. 11. in fin.

## §. XXVIII.

Praeterea et hoc inficias ire vix quisquam poterit, quod coniecturae, atque indicia valida, quaeque in iure approbata sunt, semiplenam efficiant probationem art. 30. C. Crim. Carol. MASCARD. de probat. Lib. I. qu. 15. n. 4. ANTON. GOMEZ Var. resol. tom. III. cap. 12. n. 2. In delictis autem, quae difficilis sunt probationis (difficilis autem probationis interdum etiam delicta facti permanentis sunt v. c. si cadaver in aquam profluentem proiectum, vel a canibus, aut suisbus cadaver infantis deuoratum, aut combustum) semiplena et coniecturata probatio, si huic confessio rei accedit, pro plena et concludenti probatione habetur BOER. dec. 164. n. 4. PROSP. FARINAC. Part. I. Oper. Crim. qu. 2. n. 12. Ex quo consequitur, quod in delictis facti permanentis interdum plena probatio adesse possit, etiam si deficiat corpus delicti verum, et quod per consequens etiam poena capitalis locum obtineat. Tantum vero abest, vt asserere velim, qualescunque coniecturas sufficere ad hoc, vt, confessione spontanea cum indicis et coniecturis concurrente, poena capitalis infligi confessio possit, vt potius indicia nulla alia, nisi validissima, vrgentissima, ac violenta, quaeque plene probata sunt, vt art. 23. et 30. Sancti. Carol. requirunt, admittenda sint, ex quibus nempe insigni probabilitatis gradu concludere iudex potest, delictum reuera, et a confitente esse commissum. Sic e. g. in infanticidio coniectura probabilis, et verisimilis est, si mulierem, quae, se infantem recens natum occidisse, ipsa profiteretur, gra-

Coniecturae semiplenam probationem in delictis, quae difficilis sunt probationis.

Et si confessio rei accedit, pro plena probatione habetur.

Ad hoc tamen qualescunque coniecturae non sufficiunt.

## XXVIII

uidam fuisse, eandemque peperisse, vel ex inspectione apparet, vel ex grauiditate ipsa, quae repente rursus cessauit, de infante vero, quod adhuc in viuis existat, nullibi constat, praetereaque talis mulier partum clam, et nemine praesente, enixa est, *art. 35. C. Car. v. Ill. THOMASII Juristische Zandel Part. I. C. 1.* quo casu, mulierem infanticidium confessam ultimo supplicio, idque de iure, affici posse, etiamsi deficiat corpus delicti, non possum non mihi persuadere, aliis nimirum adimniculis concurrentibus. Obstare quidem videtur, quod per eiusmodi indicium infanticidium haud sufficienter probatum sit, fieri enim potuit, vt mulier infantem mortuum pepererit, hoc tamen nihil facit, quominus confessioni matris fides habenda sit, deficiente quoque cadauere infantis occisi, eum in finem, vt capitali poena mater afficiatur. Ratio huius asserti in eo consistit, quia certo constat, mulierem partum, et, vt in dubio praesumitur, *uiuum* edidisse, siquidem et hoc in casu ad tormenta deueniri potest iuxta *art. 35. Const. Crim. Car.* Sic in casu, quo, cadauere hominis occisi in aquam profluentem proiecto, de corpore delicti constare nequit, satis valida, et ad condemnandum vrgentissima indicia sunt, si reus confiteatur, se occidisse hominem cognitum, et certum, de cuius vita facile liquere potest, qui tamen nullibi reperitur, praeterea si sanguis in loco, vbi delictum perpetratum dicitur, reperta fuit, aliaque indicia accedunt. Atque huic casibus et in homicidio, absque corpore delicti, siue cadauere occisi, quod reperiri et oculis perlustrari plane non potest, ex sola rei confessione, accedentibus tamen aliis adhuc coniecturis probabilibus, siue indicii vrgentibus, ad ordinariam capitis poenam perueniri potest, *Conf. CARPZOV. Prax. Crim. P. I. qu. 16. n. 17. et 25. seq. et P. III. qu. 108. n. 18. et 33. seq.* idemque in *Dec. 197. Part. II.* asserit, et satis probat; delictum latrocinii, quod ex proposito cum roboria perpetratum, probari sufficienter posse per duos testes, de visu cadaueris occisi deponentes, eo effectu, vt tuto a iudice poena capitalis dictari possit. Cum enim in delictis occultis, et difficilis probationis, sufficiat constare de corpore delicti per coniecturas saltim validas, et in iure approbatas, certo multo magis idem obtinebit in casu proposito, quo cadauer ablatum, propterea quod duo testes, quorum attestatio iurata omnes superat coniecturas, et praesumptiones, de visu deponunt. Sufficit enim probatio corporis delicti talis, qualis pro ratione criminis et facti haberi

*Obiectio refutatur.*

*Latrocinium per duos testes de visu cadaueris occisi deponentes, probari potest.*

haberi potest, ne delicta maneat impunita, l. 51. ff. ad Leg. Aquil. l. 18.

§. 1. ff. de iud. et ubi quisque. et pro hac opinione pronunciauit Ill. Scabinatus Lipsiensis teste CARPZOV. Dec. 197. P. II. (tenor sententiae ita se habet: ) Hat G. D. in guten bekant und gestanden, daß er ihme nicht allein vorgesetzt, den Kayserlichen Ritter, welchen J. S. von A. nach G. führen sollen, auf der Straßen nieder zu machen, und zu berauben, deswegen er sich denn nicht allein mit J. S. hierzu vereiniget, sondern auch nachmahls solches zu Wercke gerichtet, von dem Reiter Geld begehret, und unangesehen er ihm einen Thaler hingeworffen, mit seinem Carbiner jedoch ihn geschossen, und ermordet, auch nachmahls beraubet, das Geld und Kleider abnehmen helffen, davon er 7. Thaler, die Stiefeln, das Goller, und die Hosen bekommen. Wiewohl man aber bey jesiger Schnee-Zeit den Körper des entleibten Reiters an den Ort, da er verscharrt, nicht leichtlich finden, und antreffen kan, so haben doch 3. Zeugen eyndlich berichtet, und ausgefagt, wie daß sie selbige Zeit, als der Reiter ermordet seyn soll, auch an selbigen Ort einen todten Körper liegen sehen, und hätte man sonst damahls von keiner andern Ermordung etwas erfahren, wodurch das corpus delicti zur Nothdurfft beybracht. Da nun der Gefangene G. D. auf sein gethanen Bekännniß vor öffentlich gehegten peinlichen Hals-Gerichte freywillig verharren, oder des sonst mit Recht überwiesen würde: So möchte er wegen der an dem Kayserlichen Ritter begangenen, und bekantten Ermordung, und Beraubung, mit dem Rade vom Leben zum Tode gerichtet und gestraffet werden.  
W. N. W.

Confirmatur  
sententia Ill.  
Scabinat. Lipsiens.

### §. XXVIII.

Porro si l. fin. C. de probat. l. 34. C. ad leg. Iul. de adult. et l. 16. C. de poenis conferamus, ex his tribus rescriptis manifestum est, capitalem, et severam sententiam in reum dici posse, si vel testibus, vel apertissimis documentis, vel indubitatis ad probationem indicii, et luce clarioribus, quae manifesta et evidentialia dicuntur, vel confessione de crimine convictus sit. Ita enim hae leges coniungendae, et quod in altera deest, ex alteris supplendum est. Qui itaque effectus tribuitur probationi testium, documentorum apertissimi-

Quem effectum habet probatio testium eundem etiam habet confessio.

morum, et indiciorum indubitatorum, de quibus **FELIN.** *de praesumpt.* Cap. 2. n. 12. **IACOB. MENOCH.** *Lib. I. praesumpt. qu. 97. n. 1.* eundem quoque habet confessio, cum qua legitima indicia aduersus reum concurrunt, vt scilicet ex eo sententiam capitalem iudex promere possit, h. e. reum ad supplicium condemnare *arg. l. 16. C. de poenis*, ita enim expressis verbis rescripsit Imperator **Constantinus** in *all. l. dum inquit: iudicem hoc temperamentum tenere oportere, vt non prius capitalem in quempiam seueramque promat sententiam, quam in adulterii, homicidii, vel maleficii crimine aut sua confessione, aut certe omnium qui tormentis, vel interrogationibus fuerunt dediti, in vnum conspirante concordanteque rei finem, conuictus sit.* Nec interest, qualis sit haec confessio, libera, vel tormentis extorta, quae proprie quaestio dicitur. Has enim inter se aequiparari, minimeque quoad effectum distare, satis apparet *ex l. 1. §. 23. et 27. ff. de quaest.* Et sane, qualis quaesio, confessione propria dari poterit probatio clarior? cum iuxta **Decisum PAVLI** in *l. 1. ff. de Confess.* confessus pro iudicato sit, qui quodammodo sua sententia damnatur. Habet autem confessio hunc effectum indicati non solummodo in ciuilibus, verum etiam in criminalibus causis, propterea quod leges non distinguunt *l. 1. l. 6. §. 3. et passim ff. de Confessis*, vt ita secundum *l. 56. ff. de re iudicata*, in confessum nullae aliae sint iudicis partes, quam vt condemnet. Neque enim veritas criminis admissi in foro euidentior haberi potest, quam ex confessione, vt vulgo haec probatio probatissima dici soleat. *Conf. l. 5. ff. de Custodia et exhibit. reorum l. ult. C. de executione rei iudicatae, c. 1. 2. de accus. in 6to.* Referri et huc illud **OVIDI** potest:

Non est confessi causa tuenda rei.

**Ob sola indicia in poenam extraordinariam aliquis condemnari potest.**

**Si delictum fortioribus indiciiis probatum, ad torturam perueniri potest.**

Tandem ex communi interpretum sententia reus, licet crimen confessus non sit, ex solis indiciiis, et praesumptionibus, in poenam extraordinariam, carceris, aut pecuniariam, imo interdum etiam relegationis condemnari potest, **IOSEPH. MASCARD.** *de probat. lib. 3. conclus. 1220. n. 10.* et demonstratio, fortioribus indiciiis et praesumptionibus facta, sufficit ad torturam infligendam, vt probauit **CARPZOV.** *in Pract. Crim. part. III. qu. 108. n. 18. seqq.* Quae cum ita sint, et reus, deficiente etiam corpore delicti, propter indicia tortura affici possit, non video, cur non, si libere fateatur crimen, concurrentibus indiciiis



indiciis sufficientibus ad torturam, ipsi poena ordinaria, et vltimum supplicium infligi possit, licet corpus delicti oculis haud subiiciatur. Conf. §. XVI. et XXVII.

## §. XXX.

Militat quoque pro hac sententia praesumptio vrgentissima, confessionem rei veritati se conformem habere. Certum enim est, quod ea, quae regulariter fiunt, praesumenda, et per consequens non sint probanda. Etenim, quod praesumitur, id sine probatione verum creditur, ad minimum eo vsque, donec aliud afferatur. Dom. HAYMVS *de Stylo Curiae Lib. III. Tit. XV. §. 12.* Regulariter vero nemo confitetur crimen, nisi quod reuera ab ipso perpetratum. Quod enim quis ex taedio vitae crimen confiteatur, nunquam ab ipso commissum, hoc fit rarissime, E. confessio tam diu pro legitima et vera est habenda, quamdiu non fortiores adsunt praesumptiones, eandem confessionem veritati repugnare, quales praesumptiones se exserunt, si v. c. confitens sit melancholicus, desperatus, si fors vitae durior ipsi contigerit etc. Iustitia denique ipsa salutis reipublicae vindex, atque assertor desiderat, vt delicta non impunita relinquantur, imo hunc in finem gladium demandatum est iudicii, vt malum e medio tollatur, et respublica a malis hominibus purgetur, l. 3. D. de Iurisdist. Satis itaque ex haecenus dictis constare autumo: ob confessionem delinquentis spontaneam, si cum illa concurrunt indicia vrgentissima, quaeque delictum reuera, et ab ipso perpetratum esse, nobis persuadent, interdum poenam capitalem et vltimum supplicium etiam in delictis facti permanentis, locum habere, etiamsi sensuum experimento de Corpore delicti, ob eius defectum constare neutiquam possit.

*Modus de-  
monstrandi  
probabilitate  
sumitur.*

*Conclusio.*

## §. XXXI.

Iuxta modo propositam doctrinam *Amplissimus Scabinorum Confirmatur* Lipsensium ordo parricidae rotae supplicium distulit, non obstante, quod cadauer occisi hominis, quod in aquam profluentem proiectum erat, nec haberi, ideoque nec de corpore delicti sensuum experimento constare potuerit, verba sententiae, teste CARPZOV.

*Prax.*

*Prax. Crim. qu. XVI. Part. I. ita se habent.* Ob nun wohl desselben toder Körper bisher auf fleißige Nachforschung im Wasser nicht gefunden werden können, so haben doch 4. abgehörte Personen mittelst ihres leiblichen Eydes berichtet, daß sie P. S. den Stieff-Vater demselbigen Abend, wie er umkommen, von Eulenburg frisch und gesund ins Dorff kommen sehen, welcher aber hernach und biß daher von ihnen, und andern ferner nicht gesehen worden. *ic.* Da nun der Gefangene auf seinen gethanen Bekännniß vor Gericht freywillig verharren, oder das sonst, wie Recht, überwiesen würde, so möchte er von wegen solcher an seinem Stieff-Vater begangenen, und bekannnten vorsehlischen Mordthat, mit dem Rade vom Leben zum Tode gestrafft werden. Sola itaque absentia cadaueris non efficit, quo minus poena capitalis infligi possit confesso, cum indicia hoc supplere queant. Sufficit enim, certo constare, infantem e. g. esse reuera interfectum, licet cadauer non reperiatur. Atque ex hac ratione infanticidae poenam capitalem dictatam fuisse, testantur exempla, quae, quoniam ad illustrationem casuum, a me propositorum, multum adferunt, mihi liceat huc in medium afferre, prouti illa exhibentur in *BEYERI Del. Iur. Crim. ad art. 131. p. m. 242.* (tenor. sent. hic est) Hat Anna Schirmerin in Güte bekant und gestanden, daß sie in Unehren heimlich ein lebendig Kind zur Welt bracht, solches nach der Geburth auf das Gesicht zu ihren Füßen ins Bette gelegt, zwo Stunden lang daselbst liegen lassen, daß es ersticken müssen, des andern folgenden Tages aber dasselbe ins Wasser, die Elster geworffen; Ob man nun wohl bey solchen Zustande des todten Kindes Körper nicht überkommen, und also zu Erforschung des Corporis delicti gewiß und eigentlich nicht gelangen kan; Diemeil aber dennoch drey Zeugen eydlich aussagen, daß sie an der Inquisitin einen hohen und dicken Leib vermercket, und daher sie vor schwanger gehalten, Item den Tag vor der That sie den Kopff und Rücken geklagt, ferner in der Inquisitin Bette viel Bluth gesehen, daß es auch durchgelauffen, auch 2. Zeugen sie ein blutig Bett-Tuch auswaschen sehen, gestalt ingleichen die Wehemütter mittelst Eydes starck mutmassen, daß ein Kind müsse vorhanden gewesen seyn, und Inquisitin dasselbe bekannter massen umgebracht, nach mehrern Inhalt der überschickten Acten; So mag sie gestallten Sachen nach und aus obiger

*Indicia defectum cadaueris supplere possunt.*

obiger Vermuthung, so an statt der Erkundigung in die-  
 ser bösen That gehalten wird, wofern sie auf ihr gethan Be-  
 känntniß vor gehegten peinlichen Gerichte freywillig verharren, oder  
 des sonst, wie recht überwiesen würde, nach gehaltenen 6. Wochen  
 mit dem Schwerd vom leben zum Tode gestrafft und gerichtet wer-  
 den. B. N. W. Similiter verus *lessniz*. Mens. Febr. 1664. ita pro-  
 nuntiatum est ab ill. *s c a b*. Lips. Hat Christiana Hermannin in  
 Güte gestanden, und bekannt, daß sie sich außer der Ehe von Hannß  
 Weinbergen, einem Reuter, schwängern lassen, und als sie ein le-  
 bendiges Kind genesen, solches alsobald in den Schweinstall, darin-  
 nen auch ein Hackisch gestanden, getragen, und den Schweinen zu  
 fressen vorgeworffen, und sie davon gegangen, haben aber gehöret,  
 daß das Kind geweinet, und die Schweine einander gebissen; Ob  
 nun wohl im Nachsuchen in den Schwein Stalle über allen ange-  
 wendeten Fleiß nichts vom Körper, oder Gebeinen des Kindes zu  
 befinden gewesen. So haben auch die abgehörten Zeugen und  
 Wehemutter, so Inquisitin besichtigt, eydlich berichtet, daß sie ge-  
 wiß schwanger gewesen, und eines Kindes genesen, gestalt sie denn  
 auch Milch in Brüsten gefunden n. m. i. d. Inqu. Acten; So  
 wird Inquisitin, Christina Hermannin, nach gehaltenen 6. Wochen  
 woferne sie auf ihren gethanen Bekänntnisse für öffentlich gehegten  
 peinlichen Hals-Gerichte freywillig verharren, oder dessen sonst wie  
 recht, überwiesen wird, solche an ihren Kinde begangenen, und ver-  
 übten Mord-That wegen, gestallten Sachen nach, mit dem Schwerd  
 von leben zum Tode gestrafft, die Schweine aber so das Kind ge-  
 fressen, werden von dem Scharffrichter zu tode geschlagen. B. N.  
 W. Plura, qui legere cupit praeiudicia, quod ob confessionem  
 delinquentis, aliasque coniecturas validas, poena capitalis, defi-  
 ciente licet corpore delicti, statuta fuerit, euoluat *CARPZOV.*  
*Pract. Crim. Part. I. n. 35. 36. 37. seqq.*

## §. XXXII.

Accedit, quod illa, quorundam Doctorum opinio, secun- *Incommodum*  
 dam quam in delictis facti permanentis nemo poena ordinaria, *reipublicae*  
 et ultimo supplicio affici debet, nisi constet de Corpore delicti, *fini contra-*  
 reipublicae magis sit nocua, quam quod ipsi expediat, eiusque fa- *rium nascitur*  
 lus per eam promoueat. Haec ipsa enim doctrina sceleratis *ex doctrina*  
 quorundam  
 eius-

*De* Dorum, qui  
de corpore  
delicti directo  
constare de-  
bere, volunt.

eiusmodi, atque improbis hominibus optimum remedium in ma-  
nus praebet, poenam capitalem euitandi; vt nempe caueant, ne  
de Corpore delicti, v. g. in homicidio, de cadauere hominis oc-  
cisi, sensuum experimenta constare possit, quod, si haberi, et ocu-  
lis subiici nequit, secundum horum Doctorum, qui necessario re-  
quirunt, vt de Corpore delicti directo constet in delictis facti  
permanentis, capite plecti haud possunt. Quis autem non videt  
incommoda, quae eadem haec sententia reipublicae affert? dum  
magis mortales allicit, ad plura, eaque atrociora delicta, perpetranda,  
id quod facile efficere possunt, occultent, quam vt delinquentes formi-  
dine poenae ab eiusmodi delictis abstineant. Quid quod? efficit haec  
opinio vt infinita crimina atrocissima impunita remaneant, id  
quod vero et saluti reipublicae, et ipsi poenarum fini admodum re-  
pugnat. Quae vt auertantur, a regulis iuris interdum recedendum, et  
extra ordinem procedendum v. io. BODIN. *L. IV. Cap. 3. et CARPZ.  
P. II. Qu. 76. n. 51.* Ciuitatis denique ipse, cuius membrum haecenus  
delinquens fuit, interest, vt putidum hocce subiectum ex ea ratio-  
tione refecetur, ne pars sincera trahatur. Vnius enim, alteriusue  
delictum, in parem corruptionem, atque ruinam facile alios trahit,  
praesertim si impunita maneant delicta ab ipsis commissa, in quo-  
rum gratiam officio superioris congruit, prouinciam a malis homi-  
nibus purgare *arg. l. 13. ff. d. offic. praesidis.* Imo cum ipsa ciuitas  
ex patientia, vel receptu delinquentis, criminis aliquando particeps  
fieri possit, obseruante GRO TIO *de I. B. et P. Lib. 2. c. 21. §. 4. seqq.*  
vel ex hoc fonte necessarium erit, vt vel laeso eum tradat, vel vi  
iurisdictionis suae eum puniat. Et sane, nescio, ex qua clemen-  
tia, vel commiseratione affectata, salutique reipublicae, quae ta-  
men suprema lex esse debet, admodum repugnanti, iudex delin-  
quentem, qui atrox delictum confitetur, et iudiciis quasi conuictus  
est, ex ea sola ratione, quia de certitudine corporis delicti sensi-  
bus non constat, absolueri a poena capitali possit. Rarissime  
enim accidere solet, vt eiusmodi nequam, a promerita poena, et  
ultimo supplicio absolutus, ad frugem redeat, eiusque emendatio  
obtineatur, quin potius haud difficile ex exemplis frequentioribus  
contrarium demonstrari possit, experientia teste, quod eiusmodi delin-

delinquentes, semel a promerita capitis poena liberati, alia, eaque longe prioribus atrociora, crimina commiserint, spe freti, fore, vt si cauerent, ne de corpore delicti constare posset, iterum capitalem poenam euitarent, id quod praecaueri potuisset, modo talis improbus homo, qui non potest non vnum post alterum admittere flagitium, promeritae mortis poenae iam antea traditus fuisset. Merito itaque, vt CICERO *Lib. I. de Offic. c. 25.* ait, adhibenda est reipublicae causa seueritas, sine qua administrari ciuitas nulla potest. Conf. *l. 13. ff. de Offic. Praesid.* Eleganter de hac re disserit STOBAEVS *sermon. XLIV. de magistrat.* Ignorant (nempe Magistratus) quod maximum est, et quod aduersus reos pronuntiaturum scire oportebat, scilicet, quod mors ipsa iis, qui constituerunt primum, non ceu malum aliquod fontibus imposita est, sed tanquam extremum praesidium, et loco medicamenti, pro illis, qui malitia absoluere nequeunt, vt hoc saltem modo, quoniam aliter fieri non potest, in praesentia liberati malitiae vinculo ipsam effugiant. Hinc SENECA *L. I. c. 16. de ira* iustum, benignumque iudicem, capitaliter animaduertentem, ita reum alloquentem introducit: *Tibi insanabilis animus est, et sceleribus scelera contexens: iam non causas, quas nunquam malo defuturae sunt, impelleris, sed satis tibi est magna ad peccandum causa, peccare. Perbibisti nequitiam, et ita visceribus immicuisisti, vt non nisi cum ipsis exire non possit. Olim miser mori quaeris, bene de te merebimur: auferamus tibi istam, qua vexaris, insaniam; et per tua alienaque volutato scelere, id, quod vnum bonum tibi superest, repraesentabimus mortem.*

## §. XXXIII.

Haec de Effectu Confessionis Spontaneae in criminalibus, deficiente Corpore delicti, dixisse, sufficiant. Restat, vt Te B. L. ea, qua par est, obseruantia, rogem, atque obtester, vt primum hocce, virium mearum, qualecunque specimen, in bonam partem, et cum aequissimo iudicio, accipere, non dedigneris.

F I N I S.





Ko 2695

ULB Halle


3

005 358 876









177

DE  
E F F E C T V  
CONFESSIO<sup>NIS</sup> SPONTANEA<sup>E</sup>  
IN CRIMINALIBVS DEFICIENTE  
CORPORE DELICTI  
DISSERIT.

*Ho 2695* SIMVLQVE  
GODOFREDO LV<sup>T</sup>TEROTH  
IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATO  
CONFECTVM  
STVDIORVM ACADEMICORVM CVRSVM  
ET FELICEM  
AB ACADEMIA LIPSIENSI DISCESSVM  
GRATVLATVR  
CHRISTIANVS HAGENBRVCH  
LONGOSAL. THVR.

LIP<sup>S</sup>IAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.